HOMILIÆ IN EVANGELIA DOMINICALIA, AB ADVENTV VSQVE AD PASCHA, AD

populum diuerſis temporibus declamatæ, partim Gandaui, partim Bruxellæ & Louanij, partim etiam Antuerpiæ.

Auctore F. PETRO BACHERIO *Gandenſi, Dominicano, S. Theologiæ Profeſſore.*

~~in duos Tomos diuisae. T.~~ 1.



LOVANII,
Apud Rutgerum Velpium, Bibliop. Iurat. Sub Caſtro Angelico.
Anno 1576.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.
Subſign. De la Torre.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI

SERAPHINO DE BRIXIA, SACRÆ *Theologiæ Professori eruditissimo, F. Prædicatorum per orbem Generali Magistro vigilantissimo, Patri meo cum primis obseruando.*

MAGNVS ille, & generosus veritatis pugil, D. Paulus, tanta erga Christi spõsam Ecclesiam accensus fuit amoris flamma, Reuerendiss. P. quanta ante eum nullus. premebat vrgebatq; eum quotidiana omnium Ecclesiarum sollicitudo, tamq; afficiebat virũ, vt quicquid vel commodi, vel incommodi vni illarum cõtigisset, id sibi totum euenisse putaret. Hinc natas illi video huiusmodi voces, Quis infirmatur, & ego non infirmor: quis scandalizatur, & ego nõ vror? *1.Cor.11.* Ac si dicat, Quis tam infimæ vel fortis est, vel cõditionis, cuius me mala non perinde tangũt ac mordẽt, atq; si mea essent? quis vel leuiculo vsquam morbo corripitur, quo non etiã mox ipse totus ægrescam? Enimuerò quoties tacitus mecum verba hæc tua, imò scintillas potius, tuæq; mẽtis eiaculationes, ô Paule (si pateris vt indignissimus ego homuncio te longè dignissimum Apostolum alloquar) quoties, inquam, hæc trutino atque expendo, toties ego te in vasto atque monstrifero mundi huius pelago pisci illi, quem à pedũ multitudine Græci polypum vocãt, assimilem iure dixero: quippe qui vsq; adeò tenaci, & indiuulso charitatis nexu coniunctus es omnibus, vt, non secus quàm polypus omnium petrarum quibus se affigit colores, omnium affectiones in te recipere videaris: flens (vt alibi scri- *Rom.12.*

bis) cum flentibus, & cum gaudentibus etiã ridens. Verùm dum admiror atque exosculor Paulinum istud pectus plenum sedulę cuiusdam solicitudinis, comperio & alios complures eadẽ flamma caluisse. Horũ primus mihi occurrit egregius ille D. Ioannis Apostoli alumnus Polycarpus, ob zelum erga Christi gregem incomparabilem nostro Apostolo proximus, sed longo proximus interuallo. De hoc

li. 4. Historiæ ca. 15. viro testatur Eusebius, quòd ei perpetuus, dum ageret in humanis, mos fuit, die noctuq́ pro ecclesiarũ pace supplicare Deo. Quid si Apostolo Apostoliq́ discipulo coniungamus illustrissimum martyrem Cyprianum, eisdem curarum sollicitudinisq́ ignibus æstuantem? Nam, vt cæteras eius viri epistolas sacri amoris æstu scintillantes prætercam, vel vnica illa ad Cornelium, quæ est ordine tertia, abũdè nobis id cõtestatur. Postremò lubet etiã ar-

Epist. ad Thaleleũ. dẽtissima simul & fortissima Synesij, Ptolemaidis in Palestina episcopi, verba audire, quæ prorsus eundem mihi spiritum resipere videntur. Si, inquit, mea ad extremum deuenerit ciuitas, equidẽ locum meum in templo seruabo: pura prætendam gutturnia: sacris adhærebo columnis, quæ sacrosanctam à terra sustinent mensam: illic sedebo viuus, & iacebo mortuus. Porrò dum istorũ patrum zelum feruentissimum pro domo Dei, lætus intueor, & admiror, mecumq́ simul indoleo tã paucos esse modò illorum similes, qui pari vel amore vel diligentia negotium Ecclesiæ curent, qui polypi mentem obtinentes, etiam rigidissimis durissimisq́ saxis sese affigant, ac tantisper inhærescant, donec ex

Matth. 3. lapidibus filij Abrahę efficiantur: magna subit animum cõsolatio te adhuc superesse, in quem illi patres spiritum suum deriuasse veluti hæreditarium mihi videntur, adeò vt eos vel æques, vel superes, vel proximè imitando exprimas. Egerit Apostolus polypum quendam, Polycarpus indefessum precatorem, Cyprianus & Synesius pro sua ecclesia patronos

tronos se gesserint & promachos: tu Seraphinum (vt ardor tibi & labor ex nomine) mihi agere videris. quippe qui, nullis obstantibus difficultatū ventis, nullis remorantibus cursum periculorum turbinibus, ab Italia per proximam Franciam, per nostram inferiorem Germaniā, postremò per Hispaniam lætus & alacer angelus superiori anno volasti. neque abfuit vnquam lateri tuo, sed pone secutus est ceu Icarus Dędalum, R.P. Andreas Zannettus, Prou. Hierosolymitanus, eiusdem tecum sententiæ & ὁμόψηφος. Quòd si te quoque eodem quo Paulum, vocabulo polypum appellem, nequaquam hallucinabor: cùm, celeri irrequietoq́ natatu tuis lateribus indiuulsè adnatāte, ac senilia brachiorum remigia iuuenili alacritate veluti sustentāte Achate tuo Andrea Zanetto, à Tybre Romano ad nostros vsque fluuios, Scaldim, Lysam, Diliamq́, non sine ingenti labore transmiseris, in omnem te vertens speciem, etiam lapidum quorundam colores & affectiones in te piè recipiens, vt vnus prodesses quamplurimis. Quòd si hoc sæculum, tam exulceratum, tam tragicum, plures nobis tulisset tui similes, non haberet vel Polycarpi vel Cypriani ætas, cur ei magnopere inuideremus. At fortassis dixerit hîc quispiam, non tot ac tantis nobis opus esse viris, quando non tantis ac tam pertinacibus quatiatur Ecclesiæ nauigium procellis atque olim. Hei mihi, vtinam istud, vtinam verum esset. Imò potius sæuior longè atrociorq́ impetit modò circumagitatq́ nos tempestas quàm olim; & (quod naufragio viam sternit) non pari ardore ac constantia nostri naucleri clauo assident, nauimq́ moderantur, atque olim Cypriani aut Hieronymi seculo factitabant. Assiliunt vimq́ adferunt varij fluctus etiam decumani: assurgunt balenæ in nostram perniciem deuotæ: caudæ immani flagello nobis exitium molitur Leuiathan: postremò territāt nos varia saxa, variæ cautes ac scopuli, Scylla, & Charibdis:

Epistola ad Eudoxiū. rybdis: nauigatio, vt verbis vtar Greg. Naziãzeni, est in nocte: fax ad lucendum nulla: Christus dormit. Non ignoro quod D. Basilius temporis sui statum similem nauali prælio dixerit, atque illi quod nocte geritur, mari magnis vndiq; cõcitato ventis: vbi quis dux, quis miles difficilè possis cognoscere, sentias tamē misceri ac cõfundi omnia, cæco Marte cuncta collidente, ac inuoluente. Eleganter sanè Basilius, nec minus verè. Ludus tamē erat illa persecutio, quā eius viri tēpore in Cappadocia cõcitārunt Arriani, præ ea quæ modò in Gallia, Anglia, Scotia, Germaniaq; vtraq; licēter (heu) nimis, diu'q; grassata est, atq; ciuitates aliquot nō sine sanguine & cædibus peruagata. Orbātur hîc tēpla suis donarijs, nudātur signis, & imaginibus: sacramēta, diuinæ erga nos clementiæ organa, ac animorū præsidia, vel pollutis violantur manibus, vel prophanis sordidis'q; conculcātur pedibus: sacerdotes ac monachi, horresco referēs, nō solum exigūtur pelluntur'q; sedibus, verū iugulātur, ac alij alio mortis genere extinguuntur. Quis inter tot ecclesiæ vel ruinas, vel pericula cupiat consenescere? Quis non potius optet vitā hãc cū morte cõmutare? ac, cū Iosia rege, priusquā tandē omnia sursum deorsum'q; misceri videre cogatur, peracto iam ferè extremo huius tragediæ actu, discedere? Quapropter in tanta malorū licentia, in tāta morū bonorum'q; ruina, cū vbiq; ferè & apud omnes improbitati ac impudētię laxatę videātur habenæ, cùm pessum eant quæ honesta sunt, sine pudore vigeant quę mala sunt, quis nō videt Cyprianis, Hieronymis, Augustinis, Dominicis ac Seraphinis esse opus? Euocētur euellantur'q;, si quibus in syluis abditi, si quibus in rupibus montium'q; cauernis reconditi tales viri delitescūt, vt matri ecclesiæ, si vnquā aliàs, laboranti auxiliatrices admoueant manus, ac magna industria, magna cõmiseratione, affecto huic corpori pharmaca & synthemata adhibeant. Mihi certè, cùm nolim

Lib. de spiritu sancto cap. vlt.

esse

esse astorgos, & à matris doloribus & lachrymis, quibus hac tempestate penè conficitur, alienus, difficile fuit non expedire calamum, & fidelibus chartis illinere, quæ vel legant fratres mei ecclesiæ filij, vel ab alijs lecta audiant, quò, ad meliorem frugem vitamq; correctiorem conuersi, flagella castigãtis Dei, tergo hærẽtia & inflicta, amouere queãt. Non enim in hac Belgica, iam aliquot annis, tãtum mortali vrgemur ab hoste, quantũ à nostris sceleribus, sub hostiũ signis tela ac ferrũ in nos expediẽtibus, ac cõtrà dimicãtibus. Cessent peccata, cessabit hostis. cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoq; eius cõuertet ad pacem. Reddidit hãc Solomonis sententiã nõ infœliciter carmine Franciscus Martinius Gandensis. carmen adscribam. *Prouer. 16*

Cùm te peccandi tenet irrequieta libido,
Et noua das veteri pabula nequitiæ,
Maiores hosti vires animosque ministras:
Sub signis, contra te, tua crimina habet.
Desine criminibus dare mollia colla pudendis,
Conde animo sacra semina iustitiæ:
Sic aciem obtundes ferri, sic irrita tela
Efficies, hostis verus amicus erit.

Quàm verò sint numero multa, quã cogitatu horrida quæ demẽtes designauimus scelera, quid opus est dicere? Et tamen, in tanta vndique in vitam nostram ebullientium incurrentiumq; facinorum flagitiorumq; colluuie, nemo ex animo dolet, nemo resipiscit, nemo plangit: sed, ad alienos lapsus plusquam oculati & lyncei, ad nostra crimina cæcutimus, hoc est, domi talpæ, foris Argi sumus. Accedit postremò id mali, quòd, tot vndique plagis & vulneribus consauciati, tot maculis & pustulis nõ aliter ac leprosi perfusi, vix doloris sensum habere videamur: vt necessum videatur aliquem aduenire Hieremiam, aut Hieremiæ quam simillimum, qui magna voce à specula, aut mõte aliquo editissimo, proclamet & intonet. Percussisti eos Domine, & nõ doluerunt; attriuisti eos, & noluerunt accipere di- *Hierem. 5.*

ſciplinā, indurauerūt facies uas ſupra petras. Quid mirū igitur, ſi docti indoctiq́ ſcribimus, veneniſq́ conceptis paramus antidoton: &, ne pars ſyncera trahatur, venienti morbo occurrimus?

Nunc ad te Reuerēdiſs. P. reuertor. Cùm eximij Prouincialis noſtri literis, quæ tuarum virtutum, & præcipuè humanitatis, vocaliſsimæ fuerūt buccinatrices, didiciſſem te in Brabantiam è Flandria ſubuolaſſe, nihil habui prius, quàm, remoris omnibus repudiatis, Louanio Antuerpiam vſque accurrere: vbi tùm, ſudo ſerenoq́ cælo, homiliarum iſtarum parturigines, in animo (veluti embrio in vtero ſolet) adhuc latentes, T. R. P. oſtendi. Cùm verò fœtum inde proditurū lucem poſſe ferre iudicaſſes, permiſiſti (quæ tua facilitas eſt) vt, cùm primùm eſſem enixus, tuum illi nomen inſcriberem. Quod eò feci libentius, quòd ſciam eum in tuo ſinu fore tutum, ac liuidorum zoilorum dētibus morſibuſq́ non admodum obnoxium. Deponam igitur Reuerēdiſs. P. hunc partū ad pedes tuos. Quod ſi percon-teris quid libelli, quíſve fœtus ſit, reſpondebit mo-
Ruth ca.3. deſtè, fœtus Bacherij tui ſum. verbaq́ Ruth Moabitidis ſibi vſurpabit, ac dicet. Extēde palliū tuum, quia propinquus es. At, quid obſecro diues & opu-
Ruth. ca. 3 lentus ille Boos ad egenam illam Moabitidē? Noli (inquit) metuere, quicquid dixeris mihi, faciam tibi. Placet reſpōſum, ſequor omen, metum omnem procul pello. Fac opellam hanc noſtram intra gremij tui ſacrum aſylum ſuſcipias: ac eam eo vultu digneris quęſo, quo me ſuperiori anno Antuerpiæ es dignatus. Vale in Chriſto Ieſu Reuerēdiſs. P. qui tuos ſudores & labores ad ſui nominis gloriam, ad ſubditorum conſolationem, & tui ipſius ſalutem proſperitatemq́ prouehat, ſecundet, fortunetq́.

Bruxellæ ex noſtro cœnobio, vbi quotidie per Quadrageſimam (vt noſti) diuinum verbum plebi adnuncio. Calendis Martij 1575.

F. Petrus Reuerendiß. Paternit. T. votis addictiß. filius.

REVERENDIS PASTORIBVS, RELIGIOSIS, VERBI DIVINI concionatoribus, atque nostrarum vigiliarum Lectoribus in Christo Iesu mihi dilectissimis,

S. P.

VTINAM *viri Patres ac fratres, vtinam (vt à votis nostram epistolam exordiar) tam prompti essemus & alacres, ad Ecclesiæ dissidia malis auctoribus orta, maturo consilio, ardentique zelo componenda, quam sumus faciles ad temporis huius, & quidem exulceratissimi, iniquitatem suggillandam, variisque conuiciis proscindendam. Præsentem rerum statum accusant mortales ferè omnes, summi, medioximi, & infimi: at de corrigenda vita, colligendisq́; fluxis & laxis moribus, quotusquisq́; hominũ serio cogitat? Grauiter olim querebãtur, ac serio, verisq́; lachrymis prosequebantur suo tempore exortas persecutionis procellas, seu tempestatem, Hieremyas propheta, & Mathatias: sed querelis istis animi singularem quandam, & periculis omnibus obluctantem fortitudinem coniungebant: nullaq́; in parte sibi cessandum putabant, donec Rempub. quorundam improbitate ac scelere pœnè oppressam, instauraret. id quod nobis, viri fratres, hac tempestate faciendum censeo: & cùm in album, numerumq́; sexaginta fortium, qui Salomonis lectulum ambiũt, facto delectu, simus conscripti: exerto, & liberato de vagina gladio, spurcos illos & obscenos, lectuli, hoc est ecclesiæ, hostes profligemus. Nulla non opum vi scelerati isti transfugæ castum Domini Iesu cubile violare, & incestare contendunt; & nos molles, &*

I. Mach. 2.

Cant 3.

supini inescandis somnijs dabimus operam, pertinaciorq́; erit oppugnatio quàm defensio? Claudi & caeci Iebusaei scandunt muros, & turres, vt defendant vr-
2. Reg 5. *bem: & nos in castris nostri Dauidis, hoc est Christi, aut ludemus, aut otiabimur? Non est (opinor) saeculum hoc nostrum tam inops eruditionis, tam sterile piorum virorum, vt res nostra ad angustias redacta, ac propemodum deplorata, restitui nequeant, malumq́; superet medicinam, modò in ecclesia quē quisque sortitus est locum seu ordinem, gnauiter, & intrepidè tueatur. Orēt, paulò quàm solent ardentius sanctimoniales. intra religionis suae regulaeq́; limites se contineant, exclusis mundi tumultibus & strepitu, monachi. libris sacris, tanquam fontibus purissimis, vnde populo hauriāt potum salutarē, affixi sint concionatores & doctores. gregē suum magno studio & alacritate pascant episcopi, & pastores. pastores suos vicissim accurata obseruantia, & reuerentia delectent, atq; ad alacrius vigilandū inuitent oues. Quae si praestentur, dispeream nisi breui simus visuri alteram ecclesiae faciem. Quod ad me attinet, ne videar feriari velle fratribus in messe versantibus, ac sudantibus, & linguae, & calami plectro meas agam*
Iudic. 15. *partes. Si verò nostram segetem vulpes aliquot, caudis faces ventilantes, vastare ac populari moliātur, patribus ac fratribus meis ad arma proclamātibus, ac classicum concinentibus, stylo, & voce communia sata propugnabo, & belli pars non minima fortassis sum futurus. Huius animi testes, imò & sponsores, modo exhibeo: in euangelia scilicet aliquot homilias, seu sermones. Sed dixerit fortassis quispiam: quid aquam in mare, quid ligna in syluam frustra adferre pergis, cum tantus sit sermocinistarum numerus, vt & numerum fugiat, ac arithmeticorum ex-*

promptã memoriã delassare queat? Huic ita respondeo. Non inficior equidem sermocinistarum numerum omnem ferè numerum excedere, sed pro palatorum varietate, varij nõnunquam parantur cibi. Habuerunt illi suos lectores, suos admiratores: forte & nostra leget, probabitq́ aliquis, et Bacherio gratiam est habiturus, quòd, si nihil aliud, certè ad communia studia prouehenda generosam attulerit voluntatem. Vidi iam diu, & dolui, in peius abire Christianorum mores, ac crassis abusibus omnia passim, etiam sacra contaminari: vnde ardentibus concionibus iudicaui esse opus, quibus ad pietatem, ac syncerioris vitæ amorem mortalium animi exstimularẽtur. Neque fraudi mihi esse debet, quòd post multorum homilias, meas quoque euulgare cupiam: cùm nemo Gregorio Romano, Theophylacto, Bernardo, Rabano, Haymoni vorterit vnquam vitio, quòd post Originem, Hylarium, Chrysostomũ, Hieronymum, atque Augustinum, in sacras fecerint literas commentarios. Fuerint eius seculi scriptores, & eruditi, & diligentes. an pudebit idcirco, pigebitq́ illorum vel eruditionem imitari, vel diligentiam, dum interim modestè fateamur illorum nos vestigia sequi potius, atque à longe adorare, quàm æquare? An, quia quæ illi scripserũt fuerunt absolutissima, idcirco nec animum, nec calamum ad scribendum adiũgere poterit posteritas? Quia inter oratores eloquentiæ palmam tulerunt M. Cicero atque Demosthenes, hic videlicet apud Græcos, ille apud Latinos, num propterea confestim ex eadem arena, aut palæstra discedent, desperata laude, oratores alij? si Vergilius, & Homerus præ vatibus alijs sunt lauro digna locuti, propterea canere desinent alij? Huc facit quod habet Horatius lib. 4. Odarum, Ode 9.

Non

Non si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent
Ceaque & Alcæi minaces,
Stesichorique graues Camenæ.

Sed pulchrum est, neque laude caret, si primo, aut secundo non possis, vel tertio cōsistere loco, vt si alij lauro, tu saltem hedera coroneris. Quin etiā æqui (spero) boniq́; consulet benignus lector, quòd hora vndecima vocatus ad vineam, noluerim esse otiosus. Quam ob rem ab otiosis meos sudores ac labores carpi, & canino dente odiose corrodi, vehementer nolim. reprehendant me qui accuratius & locupletius in hoc cāpo mecum, atque in hoc agro laborant. Quis verò patienter ferat malè feriatos istos censores, & otiosos Aristarchos: qui cū in vinea Domini nihil agant ipsi, sed manibus in tergum reiectis, sint duntaxat spectatores, tamen adducto supercilio, nonquam non habeant, quod in alienis laboribus culpent, reprehendant, vellicentq́;? Alij sepem, ne aper, aut vulpes (pertinax generosis vitibus malum) irrumpant, ducunt. Alij coruos, picasq́; ad maturescētium vuarū illecebras gregatim aduolantes telis arcent. Nonnulli, latius, quàm vtilius, noxias herbas sobolescentes, spuriaq́; gramina scindunt ac euellunt. plurimi palmites, priusquam fructus mitescant, variātibus adhuc, & acerbis vuis, religant. pleriq; sarmēta lata, vetera, malè nata, cōtorta, deorsum spectātia recidūt. Deniq; nemo deses est, nemo otiosus, nisi vnus Momus, oculis obliquis aliorum industriam, sudoresq́; limans, & reprehendens. Sed facilius est reprehendere, quā imitari. Versati sunt ante me in hoc scribendi genere plurimi, & boni et docti, quorū vtinam vel vmbram exprimere possem: secuti sunt alij, sed longè, siue doctrinam, siue eloquētiam spectes, prioribus illis inferiores: quorum ego nonnunquam mirari

Esa. 5.

Columella lib. 4. cap. 20. & 24

dicam

dicam, an miserari soleo obscuram diligentiam, qui tam sordido, & illepido stylo suas vigilias orbi consecrârint. Sed cùm ob Vandalicam, & Gothicam Barbariem, politior literatura adhuc esset sepulta, ferendi mihi videntur, imò propter piam in religionem Christianam, voluntatē, etiam laudandi. Præstiterunt quod potuerunt, Non omnia possumus omnes. Tandem secutum est seculum, vt elegantius, ita & nasutius, sed vtinam pietatis studiosius. Mox ad scribendum conciones, appulerunt animum, admouerunt calamum Ekkij, Lanspergij, Fabri, VVycelij, Fredrici, Royardi, Villauincētij, Topiarij, et inter omnes venustissimus ille phœnix Thomas Beauxamis Carmelita. Nam hi ferè in hoc argumenti genere sunt principes.

Me quoque principibus permixtum agnosco latinis, 1. Aeneidos Virg.
Ense leuis nudo parmaque inglorius alba. 9. Aeneid. Virg.

Cæterum ingrati & liuidi esset animi, nolle agnoscere per quos profeceris: quod nihil est aliud quàm præclaras illas faces, quæ tibi in tenebris oberranti, & titubanti præluxerunt, vel extinctas velle, vel suum illis splendorem, & gloriam inuidere. Quapropter & ingenuè, & lubenter profiteor me in his homilijs plurimum adiutū ab eruditissimo & Reuerendiss. primo Gandensiū episcopo D. Cornelio Iansenio, dum ex illius Concordia Euangelica tanquam ex instructissimo alueario, plurimum mellis colligo. Vehementer quoque profuit eximius. M. N. Michael Bayus nostræ Academiæ Louaniensis regius professor & prælector, dum ex illius in sacras literas prælectionibus non pœnitendos hausi liquores, quibus nostrum hunc hortulum irrigarem. Vidi & conciones aliquot Reuer. Leouardiensium primi episcopi D. Cuneri Petri, à studiosis calamo, illo cōcionante exce-

exceptas, quæ etiam suum habuerunt thesaurum & vtilitatem. Reliquum est, Lector benigne, vt valedicturus paucis commonefaciam tuam humanitatem, quatenus nostras vigilias æqui boniq; consulas. In quibus si quid repereris quod tuo adlubescat placeatq; palato, id omne Christo Deo meo, sacrisq; ab eo inspiratis afflatisq; scriptoribus feras acceptum: si verò quid næui, labis, aut lapsus, id Bacherianæ tribuas vel inscitiæ, vel oscitantiæ. Vale in Christo Iesu. Bruxellæ, dum per Quadragesimam Euangelium populo quotidie explicamus. Calendis Martijs

1575.

F. Petrus Bacherius
vobis addictiss.

CLARISSIMO D. DOCTORI
M. N. PETRO BACHERIO
S. Theolog. Profess. doctiss.
CORN. GEMMA MEDICINÆ
Professor apud Louanienses.

NON adeò mirum est prisci quòd opinio secli
Confluere innumeris pulchrum exemplaribus orbem
Sensit, & occursus radiorum agitare perennes,
Inque nouas vterum formas turgescere Mundo,
Omnia circuitu vastum vt per inane reducta
Concentum eliciant numeris concordibus aptum.
Scilicet è speculo sua soli effulget imago,
Quam procul oppositi regerunt laquearia tecti:
Sic sonat ex imis reboans conuallibus Echo,
Sic color & species, aut viui gratia vultus
Concipitur visu: sic in penetralia mentis
Flexa subit: Mentem pictoris dextera versat
Ante oculos formæ referens simulachra prioris.
Ludicra quid referam porrò, aut quæ longiùs absunt?
Nam quoties tanto vestitum lumine cælum
Intueor, pectus diuini gloria verbi

Concu-

Contutit astrorum immenso radiata decore:
Quorum te numero BACHERI *maxima ponit*
Ingenij concessa Deûm tibi munere virtus,
O nulli cessura fugacis temporis æuo.
Nam velut aurata Solis de luce refulgent
Lumina, luminibus calor, & vitalia surgunt
Semina tot Pulchri arcanis fœcunda figuris:
Sic animi testis tibi vox fluit inclyta, quouis
Acrior in præceps labentis gurgite Nili,
Quem niuis accumulat resolutæ copia, tellus
Aegypti sitiens Lunæ è montibus haurit.
Vox animi testis: vocem tua scripta per orbem
Immensum referunt: scriptorum viuida virtus
Aeternum humanis immittet cordibus ignem,
Cunctaque Hyperboreis nimiùm glaciata pruinis
Molliet, ac lucis diuino afflabit amore.
Macte Deûm splendore, locum tibi stellifer Atlas
Non procul Erigones spatioso à sydere fecit.
Vt, qualis vestro qua fax fuit ordine prima,
Sic nouus eniteas turbato Iupiter orbi,
Nigrantemque tuus decor hic illustret olympum:
Vt quos eloquij rapidus non corripit amnis,
Scriptorum stylus hic, & pernix flamma perurat.

IN BACHERIANAS Homilias, ἐπίγραμμα, ANDREÆ PAPII GANDENSIS.

DVM, *solitis vacui curis operumque labore,*
Perducunt templis ocia festa pij,
Tu populum exhortās facunda BACHERE *lingua,*
Et vigili studio semina sacra serens,
Magnum equidem & magna tractasti laude talentum:
Speranda est merces nec leuis inde tibi.
Sed tamen æternis eadem nunc illita chartis
Dùm pateris Latio qualibet ore legi,
Quæ simul emissa dudum cùm voce perissent,
Nota modò attentè si quibus hausta forent:
Quanto omneis mage quàm paucos iuuisse probandum,
Præmia tam cælo te magis ampla manent,
Nec nulla interea terris quoque gloria surget
(Non vana & terris gloria si qua venit)
Concedet quod docta cohors tibi tota coronam,
Ingenij admirans hæc monumenta tui,

D. PE-

D. PETRO BACHERIO
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI

GVALTERVS COLINVS GANDENSIS IN EIVS ſecundum Homiliarum opus.

Qvæ coram populo vera monumenta ſalutis
Bachêri viua voce profeſſus eras,
Candidus in lucem mittis dum nuper apertam,
Attonitè legit docta corona virûm:
Ereptamq́; aliјs melioris credidit auſus
Spem, meritis palmam contribuitq́; tuis:
Ipſe tamen vigili tecum conamine certans,
Neſcio quid maius quàm prius ecce paras.
Namq; alios quanto dudum diſcrimine vincis,
Tanto es viſus opus nunc ſuperare tuum:
Dum plura & meliora bonis oracula primis,
Ingenium docta promit ab arte tuum.
At Flandro fueris quamuis hæc ore locutus,
Nempe auditori conueniente tuo,
Ritè tamen Latios doctus Graioſq́; lepores,
Romano vulgas ſcripta diſerta ſono:
Auctoris pariter pariterq́; interpretis, idem
Officijs vno functus vtriſq; libro.
Mactè animo: tua vox plebi, tua ſcripta peritis
Oſtendunt vitæ dexterioris iter.

EVAN-

EVANGELIVM DOMINICÆ PRIMÆ

ADVENTVS, EIVSQVE INTERpretationẽ reperies Dominica Palmarum. Verùm ne nõ hìc videamur consuluisse studiosis, epistolam huius diei explicare decreuimus, quæ clarissimè docet & ostẽdit, quo ornatu ad Christi aduentum nos paremus.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS EPISTOLA *Roman. cap.* 13.

SCIENTES *tempus, quia hora est iam nos de somno surgere.* Cùm eiecto homine è paradisi delitijs omnia plena essent horroris, totúsque iam ferè mundus (tanta vis peccati est) tetra quadã caligine obtexeretur: summus ille rerum opifex ac lucis auctor Deus, paulatim corda piorum, tum quibusdã promissionibus, tum arcanis quibusdam stimulationibus, ad meliorem spem erigere voluit. Et, quamuis à longè, & veluti per transennã, & opacam nubem, Redemptorem aliquem singularem aliquando aduenturum, qui plasma suum ab indigna seruitute in libertatem assereret, ostendere cepit. Quod vbi fide attingerent, quibus Deo placendi propius, & propensius fuit studium, ad promissum Redemptorem anhelare, & suspirare didicerunt: atque quibusdam etiam

 victi-

victimis, sacrificijsque, fidem suam de venturo Messia protestari. Inter istos, Abel, Enoch, Abraham, Noë, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, Dauid, totúsque prophetarum ordo tanquam præcipui, recēseri debent. Cæterùm verò vulgus crassis rerum vmbris adhærescens, nullam ferè huius rei habuit rationem, sed in vitia, carnisq; illecebras pronum, ac procliue, diuersam ingressum est viam, adeò vt Deo has voces ex-

Genes.6. tunderet. Pœnitet me fecisse hominem, & delebo hominem de terra, nec manebit spiritus meus in homine, quoniam caro sunt. Ingens itaque fuit patrum desiderium, ingens Messiæ expectatio, multi gemitus, & subinde quoque lachrymæ, quæ nō tam rerum præsentium tædio, quàm futurarū spe certa defluebant. Abraham credens Messiā è suo semine nasciturum, famulum Eliezer manum iussit fœmori suo ad-

Genes.24 mouere, nam ibi semē erat futuri Messiæ: Pone, inquit, manum tuam subter fœmur meum, & adiurem te per Dominum cæli & terræ. Ecce quanta reuerētia erga futurum Messiam, Moyses autem cùm se indigniorem arbitraretur, quàm cui legatio ad filios Israël committeretur, incredibili quodam desiderij ardore con-

Exod 4. citatus: Mitte, ait, Domine quem missurus es.

Psal.44. Sed & Dauidem audiamus: Inclina cælos tuos & descende, inquit. Affine est huic quod habet

Esa 64. Esaias, quamuis nonnihil ardentius desiderare hoc ipsum sit visus. Dauid enim cælos inclinari, iste verò & disrumpi cupit. Vtinā, inquit, disrumperes cælos & descenderes. Ac si dicat, quot iam seculis præstolamur Messiæ nostri aduen-

aduentum,tot patriarcharum ſuſpirijs,tot piorum hominum lachrymis,& votis expetitum? Non dubitamus verò quin cæli nobis hũc Saluatorem rorabunt. Si itaq; cæli eum retinent, ſi noſtris gaudijs, noſtris votis, remoram inijciunt,rumpantur omnino potius,ac demittant nobis quem amamus. Zacharias verò haud aliter ac ſi eum iam manu tangeret, atque oculis coram contueretur: Ecce,inquit,Rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator,ipſe pauper,aſcẽdens ſuper aſinam,& ſuper pullum filiũ aſinæ. Neq; cuiquam in dubium verti poteſt, quin apertè de Meſsia loquatur, cùm Euangeliſta Matthæus eum ad id propoſitum citet. *Zachar. 9.* *Matth. 21.*

Quid nunc dicimus auditores candidiſsimi? ſi tam ardentibus tamq; aſsiduis deſiderijs noſtrum Ieſum expectabant patres vẽturum,quo obſecro mentis gaudio,quáque hilaritate eum expoſtulari,amplectique nos decet pręſentem? Venit noſter Ieſus, venit noſter medicus, venit. Adorna thalamum tuum filia Syon, atque obuijs explicitiſque vlnis excipe ſponſum redemptorem. Iam ver eſt, iam præ foribus eſt æſtas, qua ſol iuſtitiæ totum ſe condet virgineis viſceribus, frigidam legis vmbram profligaturus,mentis noſtræ glatiem,rigoremq; diſſoluturus. Iucundiſsimum ſanè tempus præ foribus eſt,tẽpus aduentus noſtri regis,hoc tempore aduentus omnia lętiſsima ſunt,& quæ leguntur,& quæ canuntur in Eccleſia. Quemadmodum enim Ver & Mayus campos & hortos,tum læto graminis virore,tum herbarum, florumque coloribus depingunt, ita ver quod-

dam est tempus aduentus Iesu Christi, cùm animi piorum exultant intus, atque ora laudes diuinas piaq; desideria germinant. In Vere & Mayo aues ferè omnes cum philomela cantica sua modulantur, atq; dum longa hyeme siluerunt, ad intermissos modulos redeūt, suauissimeque cantillant. Sic in aduentu suauissimè, & lætissimè, si vnquā aliâs, canit Ecclesia. Id ante me scripsit Ioānes Taulerius: Sicut, inquit, vernum tempus cæteris anni temporibus plus delectationis & amœnitatis habet, sic & istud iam imminens tempus præ alijs anni solennitatibus iucundius est, & deuotius.

Ioan Taulerius ser. 1 duentus Domini.

Habenda igitur tēporis ratio, & adueniente regi occurrendum, illud *Scientes tempus*. M. N. Dominicus à Soto, Caroli quinti Imperatoris confessarius ita interpretatur: Sciētes tempus, hoc est, temporis opportunitatem & decentiam. Etenim inter reliquas circunstantias illa quæ à tempore est, maximè mouet. Hinc Ecclesiastes sua singulis negotijs accommodat tēpora. Nam, vt ait cap. 8. omni negotio tempus est, & opportunitas, quam prætermisisse nefas est. Quod si in omni re vel consequenda, vel conficienda captari oporteat opportunitatem, maximè tempore aduentus Christi, id est conandum, ne ille tantus Redemptor, tantus Saluator adueniens nos reperiat aut marcentes otio, aut indulgētes somno. Expergiscimini igitur ô auditores candidissimi, & Christi aduentum correctiori vita, studijsq;, quàm hactenus, melioribus transigite, quo ille tandem, vt toti orbi olim, ita modò seorsum, vestris mentibus

Eccles. 3. & 8.

tibus

tibus salutifer oriatur, vt illud Esaię vobis nunquam non cantetur, Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Quotus enim quisque nostrum est, qui sibi audeat polliceri futuro se anno superuicturum? Imò cùm nemo sibi vel crastinum polliceri queat, quæ obsecro hæc est oscitantia, in vtramque dormire aurem, & opportunitatem celebrandi aduentus Christi sine fruge & fructu elabi sinere? Esaię 9.

Hora est iam nos de somno surgere. Si dormiendo negligimus prādium tam dubium, tam opiparū, quis credat nos esurire? Si aduenientem sponsum alacri animo, & cum plausu non excipimus, quis credat nos illum vel expectare, vel amare? Sedet Abraham ad ostium domus suæ, Loth ad portam ciuitatis, vt excipiant angelos, & tu cessas excepturus angelorū regem? Væ tuę inertiæ, & somnolentiæ. Apparuit gratia & Dei & Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegātes impietatem, & sęcularia desideria, sobriè & iustè viuamus in hoc sęculo, Ad Titū 2. Si apparuit hoc aduentu, vel apparitura est eius gratia, & benignitas, appareat & nostra alacritas. Misericordia apparet, indulgentia te expectat, clementia tolerat. Non finas pręteruolare occasionem. Inijce manum indulgentiæ & clementiæ. Nicephorus lib. 16. ca. 22. ait celerrimam esse aquilam temporis opportunitatē, siue occasionem, quæ ad pedes aduolās, capi potest à quolibet: si verò effugiat in altū aërem, eos qui se persequuntur, ridet. Proinde pictores ei appingunt formam humanam, comamque in fronte demit- Genes. 18. Genes. 19. Ad Titū 2. Niceph. lib. 16.

tunt, occipitium autem ad ipſam vſque cutem tundent,ſubobſcurè quidem,ſed tamen ſapienter iudicantes,ſi ea à tergo nos ſequatur, coma prolixiore apprehendi poſſe:ſi verò præcedat, nequaquam poſſe.Surgamus itaque de ſomno, excutiamus hũc letargum, qui nos à Saluatore noſtro diſtinet & diuidit.Audi quæſo Salomo-
Prouer.20 nem : Noli,inquit,diligere ſomnum,ne te egeſtas opprimat, aperi oculos tuos, & ſaturare panibus.Iam ferè miſer quicquid eſt opum ſpiritualiũ decoxiſti,lapſus es facultatibus propemodũ omnibus, & adhuc libet, veluti re benè geſta in vtramque dormire aurẽ? An neſcis innumera eſſe dormientium pericula?An ignoras
Iudic.16. in quam ſe miſeriam coniecerit Sampſon,dum in Dalilæ gremio,nihil aliud quàm meros ſom-
Ionæ 1. niat amores? Ionas in naui inobedientiæ contra Deum ſomno ſopitus, obuijs fluctibus de-
2.Reg.4. ditur. Iſboſeth acediæ ac deſidiæ ſomno preſſus, ab impijs iugulatus eſt. Hora itaque eſt de ſomno ſurgere. Habet inuidia & liuor, habet ſuperbia,habet auaritia ſomnũ ſuum, dum his peccatis obnoxij,ne cogitant quidem reſipiſcere. De auaris ac philargyris, ait Propheta Da-
Pſalm.75. uid: Dormierunt ſomnum ſuum,& nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Pulchrè Dauidis hunc verſiculum explicat D. Auguſtinus: Qui, inquit, ſomniat ſe reperiſſe theſaurũ, tãtiſper diues eſt, dum non euigilat: diuitem ſomnium facit,vigilia pauperem. Tales ſunt peccatores, qui per fluxas cupiditates obdormierunt.Sed veniet tempus cùm expergiſcentur.Quid tum fiet?Nihil inueniẽt in manibus

nibus suis. Quæris quare? quia nihil posuerunt in manibus pauperum, in manibus Christi. Vis aliquid inuenire in manibus tuis postea? Noli modò cõtemnere manus pauperis: respice manus inanes, si vis habere manus plenas. Dixit enim Dominus: Esuriui, & dedisti mihi manducare. Si diues ille lurco seu epulo aliquid tradidisset in manus Lazari pauperis, nõ esset perpetuo mendicus. Excutiamus somnum auaritiæ. Holophernes immodica crapula in lecto sepultus, muliebri dextra obtruncatus pœnas dedit. Sisara crudelis bellator, somnum morti coniunxit. Euigilemus igitur. *Matth.* 25. *Iudith.* 13

Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Theoph. ita explicat: Nunc magis appropinquamus futuro seculo. Vocat enim Paulus illud seculum salutem à nomine, & notiore, & plausibiliore: peccatoribus enim non est salus, sed pernicies. Quapropter cùm iam simus vitæ æternæ propinquiores, alacrius atq; ardentius in pietatis studia nobis est incumbendum. Imò, inquit Chrysostomus, quantò propinquior est regis aduentus, tantò nos decet esse paratiores ad occurrendum. Quantò longius à carcere recesseris, tantò meta propinquior, vbi brauium capiendum est. Nónne hoc faciunt cursores, qui quò fuerint metæ propinquiores, hoc se maiori conatu, & cursu agunt celeriore. Eruditissimus M. N. Dominicus à Soto, vt semper est acutus, sensum vtcumque alium qui Paulo penitissimus est, eruere conatur, asseritque Apostolum hic representare personam totius generis humani, nempe à tem- *Theoph.* *Chrysost.*

pore eo quo in Abraham fidei ſumpſit primordia, vſque ad Chriſtum paſſum, cuius morte apertũ eſt cælum. Paulus ergo vt publicus huius ſalutis preco, exhortatur Romanos, atq; in eis totum orbẽ, inſtigatq; vt facta iam redemptione, propinquior ſit eis ſalus, quàm cùm primũ in Abrahã credere ceperũt. Veluti ſi doctor quiſpiam Louanienſis conſcenſo pulpito, ad ſtudioſos, qui illius audiendi auidi, denſa orantem cingerent corona, diceret: Candidiſsimi auditores, ſumma nobis opum vi conari nos æquum eſt, vt nullo non labore, nullo non ſudore noſtram academiam reddamus quotidie ſeipſa illuſtriorem: nũc enim longè ſumus prouectiores omnium diſciplinarum ac literarum encyclopædia & circulo, quàm olim dum primi ſcholas inſtituimus. Sic Veneti, quorum reſpublica quàm florentiſsima eſt, dicere poſſunt, nunc ſumus longè potentiores quàm fuimus, cùm prima vrbi fundamenta locaremus.

Nox praceſſit, dies autem appropinquabit. Inſignis eſt hic Chryſoſtomus: Quãdo, inquit, noctem ad diluculum properare videmus, garrientemque hyrundinem audimus, proximum ſibi quiſque excitamus. Quod igitur in ſecularibus hominibus fieri videmus, nos quoque in ſpirituali negotio faciamus. Ineptas & Chriſtiano homine indignas cogitationes à nobis amoliamur, & quicquid eſt huius vitæ ſomniorum, eijciamus. Authores Græci, Origenes, Chryſoſtomus, Theoph. Oecumenius totam hanc præſentem vitam noctem appellant. Vitam verò æternã inacceſsibili Dei diuorumq; ſplen-

Auctores Greci. *Scriptores Latini.*

ſplendoribus rutilantem appellant diem, atque idcirco legunt, nox proceſsit ſiue progreſſa eſt ad diluculum properans. Fauet his auctoribus Græca vox προέκοψεν. Hieronymus verò & Ambroſius cum Latinis omnibus legunt, nox præceſsit. Quam voculam ſi amplectaris, noctem intelliges legem veterem, Diem verò legem nouam. Et meo iudicio, nō inepta eſt hæc interpretatio: quis enim ignorat quàm craſſa, quàm obſcura, quamque purioris lucis indiga lex illa vetus fuit. In lege verò Euangelica omnia circumcirca fulgent, & Chriſto ſeu proſpero ſydere irradiante mortalium mentibus, & diſpellente veteres tenebras. Id Chriſtus ipſe clarè ſatis teſtatur in ipſo Euangelio, dum ait: Me oportet operari opera patris mei, dum dies *Ioan. 9.* eſt. Paulus etiam dum Theſſalonicenſes ſuos ad vigilantiam & vitam ſynceriorem cohortari cupit: Non eſtis, inquit, in tenebris, ſed filij *1. Theſſ. 5.* lucis: igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus. Hunc commentarium illuſtrat ac conſpicuum facit D. Ambroſius lib. 3. de Vir- *Ambr li. 3. de virginibus.* ginibus: Synagoga, inquit, nox eſt, dies verò Eccleſia. Bona lux quæ perfidiæ excuſsit caliginem, & fidei diem fecit. Nox videtur peccandi præbere licētiam, eò quòd vacet pudore: dies verò, quæ omnia ob oculos ſtatuit, pudorem ſuum habuit.

Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, Sicut in die honeſtè ambulemus. Origenes interpretatur vitia noſtra eſſe actus à Deo, qui ipſiſsima lux eſt, alienos, qui verè dicuntur opera tenebrarum, quia non ferunt lu-

Ioan.11. cem,iuxta illud: Qui malè agit, odit lucem. Et non venit ad lucem, ne arguantur opera eius. Quis verò non videt opera esse tenebrarũ, quæ contra lucem ipsius rationis decertant? imò & æternis tenebris sui cultores post obitũ dedunt? Sed perdifficilè est, ait quispiá, hæc opera tamdiu amata, tádiu culta semel abijcere: non aliter ac si quis natura ipsa se velit exuere, & humana omnia à se aliena existimare. Assueta relinquere durum. Respondeo: difficilè est naturæ, sed nõ gratiæ, quę se ex toto pectore quærentibus sui amat facere copiã. Imò, ait Theophylactus, tam est facilè quàm pallium sordidum exuere, & vestem induere splendidiorem. Nudato iam veteris Adami exuuijs, ac peccatorum carnaliũ inuolucris, opus erit virtutum assumere panopliam, ac perpetuò deinde stare in procinctu, ne hostis nos opprimat inermes & imparatos. Ad aciem, inquit Chrysostomus, nos dies vocat, sed non despondendus animus, non fœminarum adinstar indecorè trepidandum, verùm confestim ad virtutes, hoc est, arma lucis respiciendum, quæ vel ipsis radijs solaribus te reddent splendidiorem, ac hostium oculos incredibili sui fulgore perstringent.

Theoph.

Chrysost.

Proinde quemadmodum sponsus è thalamo illustri ornatu procedit, ita & in harenam virtutum armis vndique munitus decreturus cum aduersario descendit, & sponsus propter ornatum, & miles propter arma iure dicendus. Præstrennui militis arma habere lucida, non erugine turpi obsita, fulguret casis, splendidè limatus sit gladius, aptè pendeant baltheus, &

clypeus.

clypeus. Nitida,inquit,militi sint arma,stipendium eius in baltheo non in culina maneat. Sic luceant militis Christiani opera bona, coram hominibus. Iustitia optimè sui cultores munit, aduersus insidiatrices phalangas. Genes. 30. ait Iacob, dũ cùm socero Laban incidisset illi nonnulla contentio de diuidundis ouibus. Cras, inquit, iustitia mea respondebit mihi. Ephes. vlt. monet D. Paulus induere armaturam Dei, vt possimus resistere aduersus insidias diaboli. Sic arma virtutum nostrarum in secundo Christi aduentu aduersus Leuiathan, aduersus diabolum, egregiè nos tuebuntur.

Flauius Vopiscus in vita Aureliani Imperatoris.
Matth. 5.
Genes. 30.

Sicut in die honestè ambulemus. Oportet Christianos vbique seruare decorum. Quoniam, inquit, dies aduenit, decorum est præstare huiusmodi opera, quæ non reformident lucem, imò quæ in medio foro etiam virgineus, nobilis, & honestæ puellæ pudor, meridiano tẽpore faceret. Nox vel nihil vel quàm minimum habet pudoris, tum mariti dormituri, etiam sordibus obsito pilio tegunt caput, tum vxor quoq; non vsqueadeò nitida obuoluit & obnubit capillitium vitta, sed clara luce ita prodire in publicum, & nocturnis induuijs propalam coram vicinis apparere neutiquam sustinerẽt. Verum

Nocte latent menda, vitioq; ignoscitur omni,
Illaq; formosam quamlibet hora facit.

Dies est, ergo honestè ambulemus. Exortum est clarissimi solis iubar, cessit aurora, campus habet oculos, & ciuitas aures. Deinde magna nobis, ait Boëtius, indicta rectè agẽdi & viuendi probitas, dum agamus antè oculos cuncta viden-

Boetius.

videntis. Erumpendum è tenebris, ac tandem discusso rerum fluxarum sopore & amore, lux integrioris vitæ amplectenda:

Iam linquit riguum fulgens aurora cubile,
Cantat auis, surgunt homines, animalia lustris
Erumpunt, gaudentq; in apricis ludere campis.

Et nos filij Dei non aliter ac si atra nox esset, inescandis somnis adhuc damus operam? Licuerunt ista fortaſsis, dum noctis esset tempus: nunc hæc dies aliam vitã adfert, alios mores postulat. Quicunque in Pythagoræ se scholam tradidit, veteres mores exuere debebat, vt honestis disciplinis capiundis redderetur aptior. Quicunq; Zenonis, aut Dyogenis ludum frequentare volebant, reiecta veteri vita, nouam quandam viuendi normam amplecti debebant. Nõne igitur rationi est consentaneum quando lux æterna Christus mundo apparitura est, honestis & claris moribus, illius asseclas & studiosos esse præditos? Hippocrates quos medicandi peritiam docere voluit, sacramento & iureiurando suos fecit: & Christus Christianam religionem professuros ab omni turpitudine & morum corruptela alieniſsimos desiderat, omnésque semel vitæ pristinæ sordes deserere. Sed quas inquies sordes repudiare oportet?

Non in commessationibus & ebrietatibus.

Ostendit Apostolus, quę sint opera tenebrarum. Vetat commessandi studium simul & frequentiam. Vtitur enim numero plurali. Bibere
Chrysost. nõ prohibet, ait Chrysostomus, sed præter naturam bibere prohibet. Nam hodiernę hoc est
huius

huius temporis compotationes,non conuiuia sunt dicẽda sed combibia. Væ nostris moribus, vinum certa mensura venditur & emitur,& sine mẽsura bibitur & hauritur. Quid an ne hoc est Comolitare,ac si licet dicere, ventre & aqualiculo rem sacram facere? Tales erant Comi sacerdotes,quos Esaias grauiter perstringit: *Esaiæ 5.*
Væ qui cõsurgitis mane ad ebrietatem sectandam,& potandum vsque ad vesperam,cythara & lyra, & timpanum & vinum in conuiuijs vestris.Nihil inquit Dominicus,repugnantius *M. N. Dominicus.*
est hoc vitio, nihil ita ex diametro pugnans cũ ratione, adeo vt & irrationale animal nulla vel arte,vel vi,compelli possit,vt vltra naturæ necessitatem vel potet vel edat:& illud diuinę rationis animal à brutis se vinci sinit temperantia, dum bibendi transilit limitem, & vim reclamanti offert naturæ. D. Paulus ebriosos cõnumerat idolorum cultoribus, 1.Corint.5. *1.Corin.5.*
Philipp. 3. dicit, quorum Deus venter est. *Philip.3.*
Quidni vocentur idololatræ, quotidiani nostri commessatores & potores?

Respice corpus hominis commessatoris, & appositissimè eos idololatris à Paulo collatos dixeris. Quid enim idola? nónne oculos habẽt, & nihil vident: aures,nihil audiũt: os,nihil proloquuntur: pedes,nihil se promouent: manus, & nihil operantur? Sic enim idolorum imagines commendat Propheta Dauid. Huc aures *Psal.113.*
animumq; aduerte studiose auditor. Dic quęso nónne & ebrij multoq; vino madidi omnium sunt membrorum,vti idola,impotes? Sed enumerentur etiam alia ex cõmessatione & ebrie-

tate

tate pullulantia vitia,& recenſeantur tam impuræ radicis impura germina.

Non in cubilibus & impudicitijs. Vino imperas priuſquam bibas:at vbi affatim hauſeris,vinum viciſsim te deceſſore,imperandi capit habenas, omnia etiam membra tua iugo ſeruitutis fœdiſsimæ premens, ac tanquam muto pecore te abutens. Quod cùm multò ſit veriſsimum, quis non videt rectiſsimè olim dixiſſe Senecam,ebrietaté nihil eſſe aliud quàm ſpontaneam inſaniam. An ne inſania mera, rationem ſeruire bruto ventri?An ne inſania altera, ſponte ſibi gignere furorem, ac mentem emouere? Atqui id efficere ebrietatem auctor eſt Plinius. Quæ dos hominis diuinior ſapientia? At hæc quoque, immodico vino obumbratur. Ita ait Beroaldus.

Seneca epiſtola 84. *Lib. 14. cap. 22.* *Beroaldus.*

Ex vini copia naſcuntur impudicitiæ,eaque vitia quibus infamantur cubicula.Id apertè oſtendit Salomon. Luxurioſa res eſt vinum & tumultuoſa ebrietas.Nã & à Baccho ſeu à Libero patre ait Valerius Maximus, proximus gradus eſt ad inconcuſſam Venerem. Et quid deinde Venus ebria curat? Inguinis,& capitis quæ ſint diſcrimina neſcit? Romæ olim vſus vini,vt pudicitiæ aduerſus,mulieribus interdicebatur, adeo vt Dionyſius Halicarnaſſæus ſcribat mulierem ebriam, ibi morte mulctari ſolere. Hinc ortus mos ille,de quo M. Cato & Tertullianus in Apologetico, Veteres fœminis dare oſculum conſueuiſſe, vt cognoſcerent an vinũ potaſſent. Hieronymus ait vinum virgini eſſe venenum. Fortè idcirco Suæui vinũ,teſte Cæſare

Prouer. 20 *Valerius Max.*

Cæsare in Commentarijs, importari in terram suam nolebant, ne tot corruptelis, quæ è vino solent nasci, fenestram aliquam aperirent. Sacerdotes veteris testamenti, neque vinum, neque omne quod inebriare potest, bibebant, ne videlicet ad multa absurda vel patienda vel facienda deuoluerentur. *Cæsar in Comment.* *Leuit. 10.*

Impudicitia verò ferè consistit in osculis, cõtuitu oculorum, colloquio obscæno, & illecebroso contactu. Eccles. cap. 26. dicitur de muliere impura: Qui tenet eam, quasi qui apprehendit scorpionem. Non sine periculo tangitur scorpio. Metuendus igitur tactus. Si enim dum quis solum serpentis caudam tangit, caput eius sibi sentit infestum (nam caput ad attactam se caudam conuertitur) quãto potius est abstinendum à contactu mulieris? Aptissima est comparatio quam habet Basilius lib. de virginitate. Sicut lapis in cisternæ aquam coniectus, non solum eam partem agitat, in quam cecidit, verum orbes alios post alios cõcitans, ad vltimos lacune margines perducit. *Eccl. 26.* *Basil. lib. de virgin.*

Sic vel lasciuus contuitus, vel contactus, addam, vel sermo, alias post alias cogitationes amatorias, veluti in profundo, excitat. At captiuum dicet quispiam, aduersarium meum teneo. Sed videas si sapis, ne aduersus te aliquando præualeat, quem tua negligentia faciet valentiorem. Pulchrè Cyprianus lib. de singularitate clericorum: Nunquam securus cum thesauro, latro tenetur inclusus. Nec intra vnam caueam habitans, cum lupo tutus est agnus. Ipse se voluit superari, qui hostem proprium in suas *Cyprianus lib. de singularitate clericorum.*

ſuas portas induxit. Sed nunc alia ebrietatis & temulentiæ germina contemplemur.

Non in contentione & æmulatione. Id eſt, non in certamine illo ad honores adipiſcendos, aut in inuidentia. Dominicus à Soto ait, cùm vini calor ferè ſilentium rumpat, ad contentioſos clamores conſurgitur, dum alter alteri cedere nolit, ſed magna animoſitate ſententiam quiſque ſuam mordicus tueatur. Neque cœnobia prorſus ab hac peſte ſunt pura, ac integra. Nõnunquam enim & apud virgines Veſtales maximæ de rebus minimis naſcuntur ſimultates, de poteſtatulis illis ridiculis, vt illa præſit panibus, iſta porcis, hæc ollis, Iſta in coquina, illa in valetudinario agat reginam, tum aliæ eas quæ præſunt cupiũt exauctoratas, vt ipſæ plena poteſtate ſuccedant. Ex huiuſmodi affectionibus ingẽs malorum oritur ſeges atque Ilias, dum in partes tranſeunt cæteræ. Imò corrixãtibus inter ſe reginis: ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Itaque è ſcintilla naſcitur incẽdium, vt Troianum bellum è gemino ouo. Verum nunc tempus eſt vt his vitijs tanquam tenebrarum operibus repudiatis, ad veram lucem aſpiremus, atque eam tanquam regiam purpuram induamus.

verg. Aeneid. 1.

Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.

O inſignem purpuram, qua ex famulis Domini, ex bubulcis reges, & ex peſsimis efficimur optimi. Sed quid eſt aliud induere Chriſtũ quàm induere iuſtitiam & ſalutem? Per Baptiſmum Chriſto ſumus inſiti, eluceat itaque ille per omnem noſtram vitam. Exprimamus in

nobis

nobis quem ſumus profeſsi, quem imbibimus, quem penitus induimus. Ille pax eſt, ille caſtitas eſt, ille ſobrietas, ille charitas eſt. Toti igitur in Chriſtũ transformemur, vt iam non ſimus noſtri, ſed ipſius. Suſcipiamus ipſius figuram. Et ſicut qui creatur in regem, induit regis perſonã, & qui aſſumitur in functionem Epiſcopatus, induit perſonam Epiſcopi. Per hanc metaphoram dixit Paulus Galat. 5. Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Galat. 5.*

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENTEM EPISTOLAM.

1.

Et hoc ſcientes tempus quia. Pronomen (hoc) nõ refertur ad tempus, quum (tempus) Grȩcis maſculini ſit generis, pronomen verò (hoc) neutri generis, ſed refertur ad admonitionem præcedentem de charitate. q. d. Apo. Exercenda eſt nobis charitas, eò magis, quòd iam tempus ſit. Dilucidius omnino fuiſſet, ſi vertiſſet, idq́ cùm nouerimus tempus. Eraſmus ad ſenſum tranſtulit, Præſertim cùm ſciamus tempus quia hora eſt, id eſt, tempeſtiuũ eſt nos excitari è ſomno ignauiæ. Cum hac Adami adnotatiuncula concinit Nicolaus Zegerus. Caue, inquit, ne particulam (hoc) ad tẽpus referas. Diuerſi enim ſunt generis apud Græcos *καιρὸς* & *τοῦτο*. Prius enim eſt maſculini, poſterius neutrius generis.

2.

Scientes tempus: Id eſt temporis opportunitatem, & decentiam. Græce enim eſt, *τον καιρὸν*, quæ vocula ſignificat rei gerundæ opportunitatem. Veteres Romani occaſionem Deam exiſtimabant, Græci verò Deum, quem *τον καιρὸν* appellabant. In ſimulachrum occaſionis Deæ venuſtiſsimum carmen reperies apud Auſonium poëtam. Simulachrum

B verò

verò eius ita pingebatur, vt pennatis pedibus, volubili rotæ insisteret, priore capitis parte capillosa, posteriore glabra. hoc nimirum pacto breuitatem & inconstantiam occasionis indicantes, quæ nisi cùm sese offert, arripiatur, cõfestim elabitur è manibus, nihil nobis remanet præter pœnitudinem, quæ perpetuo occasioni fingitur esse comes. Quis enim tam ferreus & saxeus est, qui nõ indoleat grauiter, si ei rei benè gerundæ pulcherrima occasio suapte socordia elabatur? Profectò si Aduentus Dominici pulcherrimam occasionẽ sine fruge bona elabi sinimus, nescio an ea occasio posthac nobis aliquãdo offerenda sit. Quapropter omni mora seposita τὸν καιρὸν oblatum quæso fratres, arripiamus, ni pœnitentiam occulto flagello inertiam nostram castigantem sentire velimus.

Occasionis imaginem habet lib. 1. emblematum Andreas Alciatus: Id quia elegans est, vt eius viri omnia, huc ascribere placuit.

Lysippi hoc opus est, Sycion cui patria: Tu quis?
Cuncta domans capti temporis articulus.
Cur pinnis stas? vsque rotor. Talaria plantis
Cur retines? Passim me leuis aura rapit.
In dextera est tenuis dic vnde nouacula? acutum
Omni acie hoc signum me magis esse docet.
Cur in fronte coma? occurrẽs vt prendar: At heus tu.
Dic cur pars calua est posterior capitis?
Me semel alipedem si quis permittat abire:
Ne possim apprenso postmodo crine capi.

3.

Nox præcessit. Arbitratur Erasmus interpretem vertisse (processit) & errore librariorum, ex processit, factũ præcessit. Verũ hæc mera est cõiectura. Nolo diffiteri tamẽ Orig. interpretẽ legere, Nox promouit, id est processit, siue progressa est. Certè textus Græcus Roberti Stephani fauet eis qui processit, legunt.

legũt. Sic enim legis ἡ νὺξ προέκοψεν, nox processit.

4.

Nunc propior est nostra salus. M.N.Dominicus à Soto notat hic ex textu Græco legi debere, Propius est nobis salus. Verum interpres sua vsus est libertate. Nihil enim hæc sensu differunt, propior est nostra salus, & Propius est nobis salus.

5.

Non in commessationibus. Commessationes conuiuia sunt nocturna κωμάζειν, id est cōmessari, deduci putatur à Comο nocturnarum compotationum prę-side. Suetonius Trãquillus scribit Vitellium imperatorem cōmessationibus mirificè dedisse operam. *Suetonius Trãquillus* Primasius verò vult commessationem esse collationem conuiuij, quam Terentius symbolum appellat. *Primasius in epistolã ad Roman.* In militia Dei Comi, authorabantur olim iuuenes, qui coronati noctu cum facibus, musicisq; instrumentis ad amicarum fores, saltandi canendíq; gratia concurrebant, procaciterq; lasciuiebant. Apud Christianos Como sacra faciunt, qui sub ineuntem quadragesimam saltationibus, cantilenis, compotationibúsque strennuam dant operam, noctúque atque interdiu bacchantur. Antigono roganti patrem Demetrium regem, an κῶμον adire posset, hoc illi solum respondit: Memento regis te esse filium. Scribit id Laërtius li.2. *Laertius lib. 2.* Non enim decet grauitatem regiam nocturnæ crapulæ, choris, vociferationibúsque insanorum ac leuium hominum more, indulgere.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS, EVANGELIVM.

Luca 21.

E*Runt signa in sole, & luna, & stellis, & in terra pressura gentiũ, præ confusione sonitus maris & fluctuũ.* Prior ille Christi Iesu, hoc est regis no-

ſtri aduentus in mundum, vt optatiſsimus & expectatiſsimus, ita quoque ſuauiſsimus fuit, adeò vt exiſtimem etiam rigida ſaxa, efferáſq; beluas, ſi natura linguas ac ora, cumque his rationem tribuiſſet, proclamatura ac laudatura fuiſſe, tam ſingularem aduenientis regis, tum manſuetudinem, tum humanitatem. Cur enim non eſſet dulcis & mellifluus huius apis aduẽtus, qui vilem hominis naturam arcano & ineffabili nexu ſibi perpetuò venerat coniugare, ac veluti ferruminare, & vnire? Id autem fecit tam ſuaui moderatione, tanto fœdere vtramq; naturam conſerens, vt nec inferiorem conſumeret (verbis ſanctiſsimi Leonis vtor) glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio.

Leo ſer. 1. de natiuit.

O ineffabilis ſuauitas ſuſcipitur, hoc priore Chriſti aduentu, à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ab impaſsibili natura paſsibilitas. Iacobus de Vitriaco, vir ſanè diligens, vbi Aduentus Chriſti incredibilem ſuauitatem melleamque benignitatem animaduerteret, adfert ad ſuum propoſitum ſententiam Eccleſ. cap. 11. Breuis eſt in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Quæ ſententia ſi huc referatur, quàm non ſit coacta, aut violenta, viderit ipſe. Sic verò eam interpretatur. Initialis dulcedo Chriſti, incarnatio eius. Depoſuit enim tum filius Dei aculeum ſuum, veniens cum miſericordia & mellea quadam ſuauitate, ad profligandam abolendamque cordis humani amaritudinem. Reſumpturus verò eſt aculeum eum, conflagrante iam mundo, quando veniet cum

Iacobus de Vitriaco ſerm 1. aduẽtus Domini.

Eccleſ. 11.

iustitiæ rigore & seueritate ad iudicium illud extremum, de quo præsens in ecclesia legitur Euangelium.

Sub secundum aduentum Iesu Christi ad iudicium illud generale, dabit cælum prodigia, iram Dei testantia, sole subito in tenebras verso, luna in sanguinẽ, cometis noua se specie eaque horribili, sese proferentibus, alijsque prodigijs nouis & admirandis. Vt enim humanum corpus non statim emoritur morbis ingentibus concussum, sed tamẽ morbi subinde recurrentes, declarant non lõgè abesse mortis diem: Ita cùm huiusmodi malis frequẽter cõcutietur mundus, significabitur mundi iam senescentis ruina, & interitus. Solent enim prægrãdia paulatim mori. Porrò quod dicitur, solem & lunam obscuranda, variè intelligitur. Nam D. Chrysostomus cũ Hieronymo existimãt hæc euentura in ipsó Domini aduentu, ac tunc illa obscuranda, non luminis sui diminutione, cùm Esaia teste sol vel septies clarius rutilabit, quàm *Esaiæ 30.* modò, & lunæ lux futura sit sicut lux solis, sed quòd Christi venientis luce, illorum lumen superabitur, & comparatione veræ lucis, omnia corpora lucida videbuntur contraxisse quandam obscuritatem. Verum (vt non lubenter refrager Hier. & Chrysos.) videtur tamẽ apertè Lucas Euangelista dicere, quòd sol, luna, ac sydera habebunt suas affectiones quibus mutabuntur, præsertim cùm accedat prophetia Ioëlis, *Ioel. 2.* qui ait, quòd sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus. Huc etiam faciunt verba. D. Pe- *2. Petri 3.*

tri: Dies Domini, inquit, ſicut fur in nocte, ita veniet, & cæli magno impetu trāſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem & eius opera exurentur. Sed in ipſo aduentus Chriſti articulo, nihil vel in ſole, vel luna ſtellíſve obſcuritatis erit, ſed potius omnia ſummo lumine erunt perfuſa, vt ex cap. 30. Eſa. diximus. Verùm in tempore quod erit proximum aduentui Chriſti, patientur has tenebroſas affectiones. Idcirco D. Gregorius ſigna iſta vocat præcones futuri iudicij. Sed conſiderare oportet quòd iſti pręcones, in tribus quodammodo elementis, aduentum Chriſti prænuntiabunt. In cælo enim ſol, luna, & ſtellæ, præcones erunt atque afficientur. In mari fluctus & procellæ horribili fragore aſſurgent. In terra verò tantus erit metus, & anguſtia, vt homines areſcāt atq; in ſe colliqueſcent, impendentium malorū expectatione. Cæterū ſcripturæ mos eſt per mutationes cęli, & ſolis, lunęque obſcuritates, metaphoricōs ſignificare ſummas vltionis diuinæ tempeſtates. Sic Eſa. 13. cùm de Babylone vindicta ſumēda proponitur, inter alia dicitur: Stellæ cæli & ſplendor earū non expandent lumen ſuum. Sic Ezech. 32. cùm de Pharaonis agitur vltione. Operiā cùm extinctus fueris cælos, & nigreſcere faciā ſtellas eius, ſolem nube tegā, & luna non dabit lumē ſuū, Omnia luminaria cæli lugere faciā ſuper te. Sic etiam Leuit. 26. Dabo vobis cælum deſuper ferreum, & terrā æream, niſi feceritis imperata & vobis mandata. Sunt multa ſimilia loca, tum Ierem. 15. Amos 8. quę cæli minas, motumq; oſtendūt, quibus procul-

Dominicus à Soto in 4 ſent. di. 46

Eſaiæ 13.

Ezech. 32.

Leuit. 26.

Ierem. 15.

Amos 8.

dubio

dubio, vltionis alicuius atrocitas designatur. Quapropter more suo in hoc Euangelio filius Dei, omniũ tempestatũ maximã & supremam prænuntiat futurã, cùm syderum, maris, & terræ singularem mutationẽ nobis indicauit. Non enim tum de Babylonijs, aut Ægyptijs, vltionem sumpturus est, sed de orbe vniuerso.

Arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Sed quæ? conflagratio mundi, & damnatio plurimorum. Quando in monte Syna Dominus legem dedit, mira erat populi astantis & circa montem versantis trepidatio, mira expectatio. Nam & mõs fumos suos eiaculabatur, & cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, timuitque populus qui erat in castris, Exod. 19. Si sic trepidant homines, si metuunt ad legis & decalogi dationẽ, quid facturi sunt obsecro, quãdo legis exigetur accurata ratio? Auribus verba legis dũ hauris ô homo, anxiè trepidas: vbi verò qui legẽ sanxit & promulgauit, subducturus est de nõ obseruata lege rationẽ, non trepidabis, nõ formidabis? Atqui creatura tũ omnis ad arma ruere videbitur, Sapiẽ. 16. Creatura tibi creatori deseruiẽs, exardescet in tormentũ aduersus iniustos. Nũc Dauidẽ audiamus Psa. 49. Deus noster manifestè veniet: Deus noster & nõ silebit. Ignis in cõspectu eius exardescet, & in circuitu eius tẽpestas valida. Ait Aug. in eũ Psal. cõmentãs, quòd & tẽpestas diuidet electos ab improbis. Electi erunt sicut granum tritici plenũ, & graue: impij sicut stipula & leuis palea. Stabunt iusti magna

Exod. 19. *Sapient. 16* *Psalm. 49.*

Psalm.1. constantia, sed impij tanquam stipula, & puluis quem proijcit ventus à facie terræ. Hæc pulcherrimè Malach. ca.4. Ecce dies Domini veniet succensa sicut caminus, & erunt omnes superbi & facientes impietatẽ, sicut stipula, & inflammabit eos dies Domini veniens. Sed quid facient electi? Egrediemini, ait ibi Dominus, & salietis sicut vituli de armẽto, & calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub plãta pedũ vestrorũ.

Cùm hæc itaque sint futura, non est mirandum, si præ anxia eorum expectatione terrigenæ miseri ad iustissimum illud tribunal velint, nolint, sistendi, trepidabũt. Imò tanta erit eius diei tempestas, vt neque calamo satis aptè exarari, neque lingua satis explicari posset.

Nam virtutes cælorum mouebuntur. virtutes hæ vel sunt angeli vel stellæ, & alia luminaria cęli. D. Augustinus epistola ad Esichium sic ait: *Aug. epistola ad Esichium.* Non solum mortales fluctuabunt, cùm ita alterabitur mundus, sed & angeli stupebunt in tã terribilibus mutationibus vniuersi: hoc est, stabunt immoti, sicut solent qui stupore corripiuntur. Cui alludit illud Iob 26. Columnæ cęli contremiscunt & pauẽt ad nutum eius. Vnde colligit Beda. Quid ergo facient tabulæ, hoc est, mortales homines, cùm tremũt columnæ? *Iob.26.* Et reuera sola lectio, & contemplatio (ait Dominicus à Soto) talium rerum ac tam horrendi spectaculi, deberet nos commouere. Si tunc concutientur cedri Libani, quid faciet virgula deserti? Trepidabunt angeli quamuis conscij sibi non sint: videntes enim infinitas multitudines damnari, non intrepidi illic stabũt: trepidabunt *In 4. sent dist.46.*

dabunt enim tantam mortalium cladem aſpicientes: atque hoc ait à Dominico de Soto citatus Chryſoſt. Virtutes autem illas eſſe angelos teſtantur Theoph.& Euſeb. Emiſſenus. Gregorius Romanus ait, quòd noſtris oculis angeli viſibiliter apparebunt, vt tunc diſtrictè à nobis exigant hoc, quod modò inuiſibilis conditor æquanimiter portat. Nouũ eſt quod habet Euſebius Emiſſenus, citatus in Cathena B. Thòmæ. Vocat virtutes cælorum ianuas cælorum, quæ ſoluentur & patefient iudicante Domino. *Greg. in homilia.*

Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. Qui nunc aſpernati ſunt filium hominis benignũ & placidum, mitem ac beneficum, tunc videbunt illum, ſed ſuo malo, videbunt ſublimem iuſtum & ſeuerum venientem cum poteſtate multa, & magna. Cùm ad cælos aſcẽdiſſet Dominus, dixerunt angeli: Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum: vbi etiam dicitur quòd nubes eum ſuſceperit ab oculis eorum. Itaq; ſicuti à vera nube aſſumptus intrauit cælum, ita & in veris nubibus cæli venturus eſt ad iudicium. Prædictum hoc fuerat à Daniele propheta. Ecce, inquit, cum nubibus cæli filius hominis veniebat. Nubes hæ facient partim ad hoc, vt tolerari poſsit ab omnibus ſumma aduenientis Chriſti claritas & ſplendor, partim ad gloriæ Chriſti augmentum, cui nubes illæ velut ſolium erit & currus triumphalis. Optimè ad hoc propoſitum noſtrum ait Matthęus. Sicut fulgur exit ab oriente, & videtur in occidente, ſic erit aduentus filij hominis. Fulgur ab *Act. 1.* *Dan 7.* *Matth. 24.*

omnibus cõſpicitur, ſic & Chriſtus in nubibus triumphalibus ac in tribunali ſuo conſpicietur, etiam ab Herode, Pilato, & Caypha, ad quorũ tribunalia ſtetit veluti reus, & infirmus, atque vt agnus qui coram tondente non aperit os ſuum. Hoc autem & Cayphæ olim prędixerat, quòd videlicet illum viſurus eſſet venientem in nubibus. Imò ante Ieſum tum ſiſtẽtur, totius orbis potentiſsimi peccatores. Stabit ibi vinctus fabuloſus ille Iuppiter. Trepidabit ibi mõſtrorum domitor, & alieni lecti concuſſor Hercules. Horrebit fulminatam in ſe ſententiam cum ſua Proſerpina, ardens Pluto.

Apoc. 21. Quos eiulatus diues epulo, quos vlulatus edet filius perditionis Iudas! Apoc. 21. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerũt. Tanta autem erit iudicantis virtus & poteſtas, vt Alexandri, Hectores, Cyri, Scipiones, Hannibales, Marij, & Cæſares, illi non ſint eripiendi. Tanta ſcientia quoque erit & ſapientia inſignis, vt Ariſtotelis, Chryſippi, Cleantis, Zenoniſque acumen ac ingenij vis, nihil illis ſint patrocinatura. Balbus ibi erit Cicero, elinguis Demoſthenes, infans Xenophon. Non præſtringentur huic iudici oculi vel degeneri adulatione, vel pecunia. Nulla erit à tribunali eius appellatio, nulla tergiuerſatio. Singulariter verò eius poteſtas in hoc apparebit, quòd ad eius imperium ſtatim omnes reſurgent mortui, omneſque in ictu oculi ante eius ſedem congregabuntur, & vel inuiti omnes ei curuabunt genu, non homines ſolùm, ſed & dæmones. Maieſtas verò eius & gloria relucebit in corporis eius clari-

Poteſtas iudicis.

Maieſtas iudicis.

claritate, in angelorum ſtipantium eum multitudine, atque in nubium circundantium eum ornatu,& pulchritudine.

His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Leuate capita veſtra, id eſt animos veſtros: ſæpè enim in ſacris literis caput pro eo quod in homine eſt, præſtãtius accipitur: vt eſt animus & mens hominis. Vult ergo Chriſtus vt cum ſpe atq; alacritate ad ſuperna reſpiciamus. Nam ἀνακύπτειν propriè eſt ſurſum reſpice, erecto videlicet vultu, oculiſq; ſublatis. Conſolatur igitur hic benigniſsimus Dominus Ieſus, omnes eos quibus mundus cũ vanis, fluxiſq; illecebris ſuis crucifixus eſt, ipſiq; viciſsim mundo, quo iã pereũte, redẽptio eorũ in foribus eſt.

Appropinquat, inquit, redẽptio. Id eſt, exilium veſtrũ finietur, ſoluetur captiuitas,& ex Ægypto recta ibitis, ac ſubuolabitis in terram promiſſam,& relictis fluminibus Babylonis, nõ per Nehemiam, aut Eſdram, ſed per Ieſum filium Mariç, ad montem Syon, ad æternas aquas Syloë, quæ fluunt cum ſilentio, vt ait Eſaias, ducemini. Alacres itaque eſtote viri, neque doleatis, ſi tam dirus carcer comburatur. Paſſer non dolet, ſed lætis & plaudẽtibus euolat alis, ſi cauea eius confringatur. Tum vnanimi clamore vociferabuntur iuſti omnes: Anima noſtra ſi- *Pſal.* 123.
cut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, laqueus contritus eſt,& nos liberati ſumus. Opinor multos paſſeres ſeſe è laqueis venantiũ extricare,& expedire, metu vltimi iudicij. Quid enim aliud clamant concionatores, dum Euã-

gelium istud è suggesto plebi, quisque suæ depromunt, nisi vt à viscosis huius mundi laqueis dum vita manet, expediat. Quomodo si videas auē (inquit Augustinus) cadere in decipulam, sic & martyrum etiam iam ferè aliqui intendebant collum in suauitatem vitæ huius: facis strepitum & effugit auis, sic & Dominus facit strepitum iudicij & gehennæ, & eruitur passer de decipula, & laqueis venantium. Leuent itaque capita, quibus laquei huius mūdi iam rumpuntur, euolent ad cælos, euolent in Deum.

August. in psal. 123.

Quicunque ergo in iudicio illo gaudere, & triumphū ducere vis ô anima, explica te à fallacibus istis laqueis, & esto fida spōso tuo Christo, cui olim & nomen, & fidem dedisti. Mulier quæ inconcessis libidinibus, & extraneis amoribus se contaminat, & per thalamos petulans & salax volutatur alienos, horret, & execratur mariti aduentum, ac capite oculisque humi fixis, malè sibi conscia, non audet ad eius oscula assurgere: casta verò quę mariti lectum, interea dum absens fuit, intaminatum seruauit, & integrum, mirificè gaudet, imò exilit præ gaudio dum audit eum redire, sepiusculè exit ostium, sæpè è fenestra exerit caput. At vbi conspexerit iam aduenire, concito gradu occurrit, & mediū complexa maritū, oscula ac basia diuidit, secura interim quid garriāt inimici, quid dicant vicini. Sic nimirum anima sponsa Christi, vbi carcere huius mundi cōflagrante, obuiā Christo in aëra proruit, ac capite iam erecto ad oscula accipiēda, & rapienda vicissim properat, hanc ego lubenter fatebor sponso fuisse fidelem, non aliter

atq;

atq; Penelope illa fuit ſuo Vlyſsi, quæ à multis procis expetita, & varijs machinis oppugnata Poëtis materiem dedit canendi. Leuemus igitur erigamuſque capita noſtra ad promiſſam hæreditatem, ad paratã nobis ante æuum conditum beatitudiné. Ibi, inquit Ephrem, fulgebitis ſicut ſol; ibi lætabimini lætitia inenarrabili, ibi Deum videbitis, quod eſt omnium bonorum caput. Ibi vobis Chriſtus demonſtrabit omnem gloriam patris, & ſanctorũ officia angelorum, Ibi adorabimus patrem in atrijs ſanctis, Ibi ſine fluctibus & perturbationibus vitæ perpetuò viuemus, Ibi choros miſcebimus cũ choris ſanctorum, Ibi omnis lachryma auferetur ab oculis, quæ pupillas noſtras obnubilat, Ibi cantabimus & dicemus: Mirabilis es Domine in ſanctis tuis. Hactenus Ephrem. Vbi verò iam ſurrectis in Chriſtum vultibus, & coniectis oculis ad dexteram tribunalis conſtiterint pij & iuſti omnes, benigniſsimis eos dictis compellabit. Venite, inquiet, benedicti patris mei, poſsidete regnum, &c. In hæc verba ita B. Hippolytus martyr: Venite patriarchæ qui ante aduentum meum obtemperaſtis mihi, regnumque meum deſideraſtis, Venite Apoſtoli mearum afflictionum participes, dum inter homines agerem propter Euangelium, Venite martyres qui confeſsi me coram tyrannis tormenta multa atq; ſupplicia pertuliſtis, Venite pontifices qui purè ſacrificium die noctuque obtuliſtis, ac pretioſum corpus & ſanguinem obtuliſtis quotidie, Venite Sancti qui in ſpeluncis & cauernis terræ vos exercuiſtis, qui per

Matth. 25. *Ephrẽ li. 1.* *Pſalm. 67.* *Matth. 25.* *lib. de conſummatione mundi.*

per continentiam,preces, & virginitatem ſeruiuiſtis nomini meo, Venite adoleſcétulæ,quæ thalamum meũ exoptaſtis,nec præter me ſpõſum alium dilexiſtis : quæ per martyrium, & pietatis exercitationem, mihi immortali ac incorruptibili ſponſo copulatæ eſtis, Venite qui dilexiſtis pauperes & peregrinos, Venite qui charitatem ſeruaſtis,ſum ego charitas,Venite ſocij pacis, ego enim ſum ipſa pax, &c. His ergo fieri incipientibus, nolite ſimul cum huius mundi cultoribus,quos dixi plancturos, his viſis ipſi quoq; animo cõcidere & turbari. Quin potius ſubrigite oculos, & attollite capita veſtra ad cæleſtem illam ciuitatem, cuius amore, & deſiderio vrbes omnes ac beatas regum domos, non aliter atque viles caſas, canniſque cõtecta mapalia deſpexiſtis. Exiliat Io-
Geneſ.41. ſeph relicto carcere, relictis compedibus, illuuie & ſqualore iam abſterſo,induatur ſtola byſſina, regioq; inſignis annulo,torquem, excuſſo indignæ ſeruitutis iugo, aureã collo geſtet. Redeat impiorum vi eiectus & aula pulſus no-
2. Reg.20 ſter Dauid,redeat,inquam,iugulato Abſalone, ſtratiſq; eius complicibus regnet, & viuat. Sedeat in templo ſancto ſupernè Ieruſalem, tot
3.Reg.11. periculis atque inſidijs defunctus Ioas, nec impijſſimæ Athaliæ gladios, furoremque formidet. Hæc eſt vera redemptio ſanctorũ, ab vniuerſis malis quæ eos premunt,eripi: deinde & à carneæ molis corruptione,de qua Paulus:Intra nos gemimus adoptioné filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri. Vt verò Dominus eos certiores faceret fœlicita-
tis &

tis & regni, quod expectari ab eis & desiderari voluit, similitudinem illis ex naturali proponit exẽplo, admonẽs, vt queadmodum ex gẽmis & arborũ folijs primũ prodeuntibus, intelligimus æstatem instare, ita ex illis signis quæ supra ob oculos sunt posita, intelligamus instare regnũ Dei. Quod ita certo pijs hic in mũdo, nulla non ob Christi fidem passis, dabitur, ac labores, sudores, contraque mundi carnisque illecebras, decertata eorum prælia sequetur, quemadmodum certum est & necessarium post agrorum primos colores arborumque gemmas secuturam æstatem. Quapropter nihil causæ est cur viri boni despondeant animum, vbi horribilia & pænè vel commemoratu formidanda, crebrescere viderint. Hæc enim non aliter atque dura hyems, gelidique decembres, cùm vel conglomeratæ niues, vel contortæ grandines passim cælo demittuntur, delecta Christo grana premunt, ac vrgent, vt incredibili cum fœnore in æstate consurgant, exerantque caput. Sed prænuntia hæc signa sint improbis horrori potius & timori, quibus in hoc vitæ stadio omnia viguerunt, omnia floruerunt, omnia arriserunt, omnia placuerunt. Illis Domini Iesu aduentus aspera, quæ foliorum mendacem virorem discutiet, hyems futura est. Tum illis eiulantibus, exiliẽt præ mẽtis gaudio pij Christiani, ac festa, solennique voce vna concinent: Iam hyems transijt, imber abijt, flores appa- *Cant. 2.*
ruerunt in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.

Et dixit illis similitudinem, Videte ficulneam & om-

& omnes arbores, cùm iam producũt ex se fructum, dicitis quoniam propè est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quoniã propè est regnũ Dei.

Solẽt scriptores sacri ab hyeme & æstate frequentes ducere similitudines, hyemem ecclesię hic adhuc sub sponsi sui signis decertãti & militanti, æstatem verò triumphanti ac agone & pręlijs omnibus, cum laude, defunctę assignantes. D. Ioan. Chrysost. homil. 50. ad populum: Ipsum iudicium extremum hyemi comparat: Illud, inquit, iudicij tempus, vel ipsa hyeme difficilius est. Non enim aquæ torrẽtes profluunt eo tempore, sed ignis flumina. Non ex nube tenebræ conflantur, sed insolubiles & omni luce carentes tenebræ, vt neque cælum videatur, neque aër, sed plusquam terra obruti, comprimantur. Frequenter de iudicio concionem instituimus, sed non persuademus. Sed istud & prophetæ patiebantur. Neq; enim semper auditoribus suis persuaserũt illi. Non potuit Hieremias persuadere Zedechiæ regi, qui eius sermones ne flocci quidem aut pili fecit, imò & sermonem eius quem Baruch scripto cõplexus erat, in ignem coniecit. Imò in diebus Noë, qui arcam parari quotidie cernebant, non crediderunt, sed tunc credere videbãtur, cùm gurgites, & voragines vndantiũ aquarũ sese aperuerunt.

Ioã. Chrys. homil. 50. ad populũ.

Hiere. 32.

Hiere. 36.

Genes. 7.

Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fient. Triplex potest esse loci huius expositio. Generatio enim hæc vel vniuersum genus humanum potest intelligi, aut genus Iudæorum. Vtramq; interpretationem agnoscit Hieronymus. Chrysost. priorem sequitur opinionem

nionem, cui subscribit suus Theophyl. Et sanè probabilis hæc est interpretatio. Nam Saluator noster omnia hæc dicit in consolationem electorum, ne putarent propter persecutionem extinguẽdum esse Christianismum, antequam Christus aduenerit. Hæret istis in sua postilla Teutonica Georgius VVycelius, qui ait, quòd Dominus seria hac consolatione, cui & iusiurandum suum affigit, omnium ætatum omnes electos recreare & alacriores reddere velit, veluti armans suos milites aduersus mundi furentis impressionem & assultus, quibus ita exagitabuntur, vt dictu sit incredibile. Georgius VVycelius.

Cælum & terra transibũt, verba autem mea non transibunt. Quid hoc aliud est dicere, nisi quòd verba sua sint digniora & maiora, quàm cælum & terra, imò & solidiora? Quid verò rebus in alijs est vel tam amplum, ac angustum, vel tam ornatum, ac speciosum, quàm cælum & terra? Subrige paulisper oculos, & præclara illa cæli luminaria tot syderum, stellarumque ignibus coniunctis intuere, an quæso potest aliquid esse vel venustiùs, vel ornatiùs? Hinc mox deflecte rursus, terramq; omnem lustrato ac circumspicito, vbi tot vrbes florentissimæ, tot regna, & imperia, tot arborũ, florum, herbarumq; odoratarum species, vt nihil interim dicam de innumeris animalium generibus, quæ fando etiã complecti prolixum esset. Inter hæc verò omnia tanquam ad regẽ & curatorem, ad te quoq; respice, qui ob rerum mirabilium singularem harmoniam etiã microcosmos ab idoneis scriptoribus appellaris: & attonitus tecum admi-

raberis,& celebrabis ineffabilem opificis ęterni potentiam & ſapientiam. Verùm hæc omnia tantò præcellit Dei verbũ interuallo,quantum mare riuulo & margaritum calculo harenario. Cõfirmat noſtra Chryſoſt. homilia,quòd Chriſtus ſit Deus: Adeò,inquit,impoſsibile eſt vt pereat vnum verborum Chriſti,vt citius cælum ipſum periturum ſit. Et meritò,licet enim verba ſint, ſunt tamen verba Dei, per quæ res ipſæ conduntur. Sic cælum fecit,ſic angelorum multitudines,ſic alias inuiſibiles poteſtates: dixit & facta ſunt,mandauit & creata ſunt. Hæc Chryſoſt. Vide nunc quantæ ſint vel dignitatis vel virtutis Dei verba,cùm ipſa inſtrumentum ſint cæli & terræ? Sed quomodo quæret quiſpiam,tranſibunt cælum & terra? Hieronymus dicit non ſui abolitioñe, ſed immutatione. Sic etiam intelligit D. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. 24. Verba itaque mea,ait,non tranſibunt. Certi itaque ex his verbis venturum vltimum hoc iudicium, præparemus nos ad aduentum eius, ne nos opprimat oſcitantes.

Chryſoſt. homi quod Chriſtus ſit Deus.

Pſal. 148.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

I

Preſſura gentium. Græcè eſt συνοχὴ ἐθνῶν, quod magis anguſtiam gentium ſignificat, quàm externam afflictionem. Itaque Dominus hic loquitur de anguſtia,quę erit in corde hominũ videntium elementa cõcuti,ac ſolem ſyderaq́; omnia neſcio quid magni mali minari mortalium generi, hinc corde pauido plerique trepidabunt.

2.

Iam producunt ex ſe fructum. Sic legitur in Luca, ſed tamen

tamen in Græco nulla fit mẽtio fructuum. Habent enim ita ὅτ' ἂν προβάλωσιν ἤδη, id est, cùm iam proruperint, vel proferre cœperint gemmas & folia. Itaque nomen fructuum accipi debet pro omni eo quod prodit ex arbore, vt & folia comprehendantur & gemmæ. Nam cùm arbores ex se fructũ producunt, iam æstás plena potiùs est quàm ver.

3.

Redemptio vestra. Hoc est, inquit Theophil. cõsummatio vtriusq; libertatis: animę, inquam, & corporis. Græcè est ἀπολύτρωσις. Præpositio, inquit, ἀπὸ, insinuare videtur perfectã à corruptione libertatẽ.

EVANGELIVM DOMINICÆ III. ADVENTVS.

Matth. 11.

CVM *audisset Ioannes in vinculis opera Christi, misit duos de discipulis suis, & ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Cùm iam tot miraculis editis doctrina Christi ab omnibus susciperetur, ipseque iam passim ferè, & apud plerosq; celebraretur, per vniuersam Iudæam fama eius succrescere cepit, & subuolare ad cælos vsque, adeò vt Ioannes Baptista non tanti fieret, quanti antea. Quod cùm viderent, ac tacitè etiam inuiderent Baptistæ studiosi discipuli, ad præceptorem suum rem putauerunt referendam. Renunciârunt itaque illi quantus esset successus omnium quę gerebantur per Iesum, quem ipse paulò ante in Iordane tinxerat, cui etiam splendidum ac planè honorificum testimonium apud plebem dederat. Porrò Baptista ille cùm vir esset eximiæ cuiusdam sanctitatis, ac sentiret discipulos suos occultè Iesu glo-

ria morderi, ac iam appetere tempus, quo illius gloria in dies magis ac magis inclaresceret, ipsius verò opinionem decrescere oporteret: supra quàm dici posset, gauisus est, ac nihil habuit prius quàm subinuidos illorum affectus tollere, ac infirmitati mederi. Quod vt faceret quàm commodissimè, tanquam detecto vulnere ad summum medicũ destinat è discipulorum suorum numero duos quosdã delectos, qui suis verbis hæc illi referrent: *Tu es qui venturus es?*

Primum varia est apud interpretes de hac
Tertull. Ioannis interrogatione sentẽtia. Tertullianus (quod sanè miror) ait Ioannẽ desiisse certũ esse
Hylarius in Math. de Christo. Reclamat Hylarius: Quid, inquit? num tãtus propheta Dominum suum ignorat, Deum suum nescit? Nónne eum vẽturum antè nuntiauerat? Vnde tam abundanti scientiæ error obrepsit? Certè non est verisimile Spiritus sancti gratiã, eum carcere clausum destituisse. Nam id edoctus à Deo testificatus prius fuerat de ipso. Aut ergo temeritatis fuisset obnoxius crimini, si eum prædicauit, quem nesciuit: aut perfidiæ, si dubitauit de eo, quem aliquando
Chrys. cognouit, idq; diuina reuelatione. Chrysostomus igitur nullo modo intelligi posse scribit, quomodo prophetarũ maximus, & veluti coriphæus, Christum ignoraret, præsertim cùm
Ioan. 1. eum esse illum singularem agnum Dei coram populo esset professus, qui vnus peccato auferendo esset à patre destinatus. Si fidele fuit Ioannis testimonium, dum Messiam anteà profiteretur esse, iam sanè fidelis dici non potuit, si in carcere mutatus, eum profiteri desineret.

Quod

Quod si fecisset, tum planè arundo fuisset, quæ vento quolibet moueretur, falsumque fuisset ipsius Christi elogium, qui asseruit eum talem arundinē non esse. Quapropter neglecto Tertulliano, Hylarium, atque Chrysostomum lubenter sectemur, qui docent Ioannem hac interrogatione non suæ, sed discipulorum potius ignorantiæ consuluisse. At quid opus fuerat, dicet quispiam, discipulos mittere, cùm verò non sit dissimile illius verbis fidem fuisse habituros, si candidè pronunciasset se non esse Christum? Sed periculum erat ne Ioannē modestiæ causa, ita humiliter de seipso loqui arbitrarentur. Solent enim meliora & fœliciora ingenia, de alijs potius splendidè, quàm de se prædicare: ac singulares animi sui dotes dissimulare potius, quā coram efferre aut effari. Eo igitur eos consilio misit, vt dictorum & factorum Iesu maiestate conuincerentur, & quandoquidem ipse iam discessurus erat è mundo, in Iesu amicitiam illos insinuari voluit. Qua sanè in re pij admodum, imò & cordati in se præceptoris affectum suscepit Ioannes, vt qui cum ignorantibus videri volebat ignorās, vt suis hac industria prodesset, atque hoc pacto ad sublimiora proueheret. Tu verò studiosè Lector, hic mihi vide, quàm non solum amanter, sed etiam prudēter, & solerter, Baptista noster egerit, qui à lege veteri, ad nouā, & à Moyse, ad Iesum suos ducere voluerit. Ipse enim typum legis antiquæ, Iesus autem nouæ seu Euangelij significationem habebat. Relinquatur vmbra, deseratur Moyses, negligantur cæremoniæ nudæ, & ad spiritus

legem, euangelijque lucem, cum Christo secedendum. Lex panes hordeaceos, Euangelium triticeam habet alimoniam: Ibi aqua, hîc merum vinum hauritur: ibi vmbra, hîc lux est. Imò non Moyses, sed Iesus, qui & Iosue in terram lacte & melle fluentem, Israëlitas ducere poterit, Deut. 31. Ecce quàm pia morituri Ioannis sollicitudo. Verebatur fortassis, ne grex suus ad Pharisæos dilaberetur, ea propter Christo eum cõmendat. Ad eundẽ modũ & Iesus ipse D. Petro, Apostolorũ coryphæo, totũ suum ouile pascendum credidit: Pasce, inquit, oues meas. Ita decet episcopos & ecclesię pręfectos, vbi se senserint migraturos, de grege quàm maximè esse solicitos. Quẽ affectũ clarissimè nobis expressit D. Paulus Act. 20. Memorabile est, quod de Valentiniano Imperatore prodidit D. Ambrosius, quòd videlicet instantẽ nõ timuerit mortẽ, sed de grege magis augustissimoque imperio fuerit sollicitus quàm de seipso: sibiq; potius mortem optabat, ne alijs causa mortis esset. Hoc est, ipsius Domini exẽplum sequi dicẽtis, Si me quæritis, sinite hos abire. Vix ego nunc opus esse existimẽ, ob quod vel facinus, vel ob quam causam Ioãnes sit in vincula coniectus. Nam nemo non nouit ferè, ab Herode ipsum carceri mãcipatum, nõ equidẽ propter flagitiũ aliquod, aut scelus, sed ob merã veritatẽ. Nõ ferebat Ioãnes nobilẽ illũ incestũ Herodis, et Herodiadis, quapropter & eos increpabat, dicẽs: Non licet tibi Herodes habere vxorẽ fratris tui. Hęc est causa vinculorũ, quæ, iuxta Comicũ, odiũ parit veritas. Sic olim nõ metuebat Moyses animositatẽ regis

Ioan. 6. *Deut. 31.* *Ioan. 20.* *Act. 20.* *Ambrosius oratione de obitu Valentiniani.* *Ioan. 18.* *Marc 6.*

regis Pharaonis, ait Paulus, sed liberè illum & *Hebr.11.*
intrepidè increpabat. Insanũ & nescio quibus
intẽperijs agitatũ cõiugij par erãt, Herodes &
Herodias, quibus nõ erat satis incõcessis amo-
ribus dare operam, nisi & sanctissimũ veritatis
buccinatorem carceri cõmitterent. Sic olim & *4.Reg.21*
Achab cum Iesabele sua, Eliã qui vitę pietate et
sanctimonia splẽdebat, persequebãtur. Ioannes
dicebat: non licet tibi habere vxorẽ fratris tui;
Elias dicebat: non licet tibi habere vineã Na-
both. Non possumus hic accedere Iosepho, qui
lib. 18. Antiquitat. scribit Ioannẽ captũ ab He- *Ioseph. lib.*
rode propterea, quòd haberet multos asseclas. *18. antiq.*
Verebatur enim Herodes, ne populi à se defi- *cap. 10.*
ceret (videbat quòd parata ei erat plebs obedi-
re) vnde melius credidit, antequã noui aliquid
fieret, hominẽ morti præuenire. Sed non credi-
mus tibi ô Iosephe, abrogamusq; tibi fidẽ, sed
potius pręferimus sententiam Simeonis Meta- *Simeon Me*
phrastæ, qui memoriæ prodidit, ob reprehẽsos *taphrastes.*
fœdos & incestos Herodis amores, Ioannẽ car-
ceri traditũ in castello Macherũte, vt etiã Iose-
phus testis est. Sed num hic carcer Ioãni pudori
fuit? Minimè profectò, sed plus glorię & solidæ
laudis carcer Ioãnis habuit, quã regia aut thro-
nus Herodis. Malim ego Ioannis cõpedes, quã
regũ torques. Lucebat sanè hæc lucerna, in te-
tro & obscuro carcere. Sic vitæ splẽdore & do-
ctrina, rutilabat in carcere Iustinus Philoso. Nã
cũ sui seculi philosophos nihil diceret esse aliud,
quã helluones & impostores, à Crescẽte Cyni-
co accusatus est: Auctor est Nicephorus. Pro- *Nicephorus*
dunt idonei scriptores aprũ dũ porcæ alicuius *li.3. ca.32*

ardet amoribus plusquam furere, ac quicquid suæ libidini obstat, sæuo dente conscindere. Talis aper Herodes, talis & sus Herodias fuit. Huc facere posset quod Columella scribit, mares in porcis esse salacissimos, adeò vt & annicula ætate commodè progenerent. Sed de hac captiuitate nimis fortasse multa.

Columella lib. 7. ca. 9.

Tu es qui venturus es? Non quærit Ioannes, an ipse esset venturus, sed an esset ille qui venturus erat. Græca enim habent, ὁ ερχομενος, hoc est, ille venturus. Porrò diuina factum est prouidentia, vt Dominus Iesus, posteaquam Ioannis discipuli aduenissent, varijs ædēdis miraculis operam daret, vnde & accommodam mox duxit occasionem eis respondendi. Neq; enim idoneè aut rectè fecisse videretur, si responderet: Vtique ego sum ille venturus. Sed testimonio potius factorum & signorum, hoc est, operibus ipsis respondere, optimum esse iudicauit.

Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beati qui non fuerint scandalizati in me. Hęc audita & visa per delectos illos discipulos à Iesu dicenda erant Ioanni, quæ sanè vt aperta fuerunt signa ipsum esse Messiam & Christum, ita à Ioanne facilè intelligebantur. Nam ad prophetarum vaticinia, Cæci vident, claudi ambulant, &c. allusum est à Christo. Esaiæ enim 35. sic legis, Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperiētur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit

Esaia 35.

ta erit lingua mutorum. Quę omnia certissima nota sunt Messiæ. Sed quales nam oculi aperientur tempore Messię, quales aures patebũt? Corporis ne an verò animi? Certissimum est quòd corporis. Illud verò quod sequitur in Esaia, nempe: Quia scissæ sunt in deserto aquę, & torrentes in solitudine, ostendit quòd & de mentis quoque oculis posset intelligi, vt videlicet supernaturalia naturalibus misceantur, & corporalia spiritualibus. Gentes ergo quę prius cæcę erant, & in ligna & lapides impingebant, veritatis lumine iã reserato, ad vnius Dei cultum se component: & quæ obsurduerunt auribus, vt scripturarum melliflua, verba, vel nollent, vel non possent haurire, ad Dei præcepta lætabuntur, quæque prius claudæ erant, & rectam viam non tenebant, salient iam sicut cerui, imitantes doctores suos. Imò lingua quoq; mutorum aperta erit, oraque quæ prius Satanas clauserat, ne possent vnum Dominum cõfiteri, promptissimis animis & linguis Dei vnius laudes & testimonia, concelebrabũt. Hæc autem idcirco fient, quia scissæ sunt, & eruperunt in deserto quondam gentilitatis, aquæ, & riui ac torrẽtes in solitudine, aquæ, inquam, & viui spiritus sancti, de quibus in Euangelio, Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Sequitur in Esaia: In cubilibus in quibus dracones habitabant, orietur viror calami & iunci. Ipse sermo declarat esse omninò figuratã orationem. Neque enim in cubilibus nasci dracones solent. Sensus itaque est: In mentibus hominũ ethnicorum, in quibus regnabant dæmonia iræ, inui- *Ioan. 7.*

diæ, contentiones & cæteræ huiuſmodi peſtes: orietur viror calami & iunci, hoc eſt ſuaues herbæ ſuccreſcent, ſuccedent fides, ſpes, charitas, iuſtitia, pax, gaudium in ſpiritu ſancto. Lactantius li. 4. de vera ſapientia ca. 26. ſpiritualiter interpretatur cæcos, ſurdos, &c. Verè, inquit, cæci ſunt, qui cęleſtia non videntes, & tenebris ignorantiæ circunfuſi, terrena & fragilia venerantur. Surdos autem verè dixeris, qui cæleſtia & vera non audiunt. Is autem verè claudus eſt exiſtimandus, qui caligine & tenebris ignorantię implicatus, & quo tendat ignarus, offenſantibus et caducis greſsibus per viam mortis incedit. Leproſi autem & verè elephãtiaci haberi debent, quos vel infinitæ cupiditates ad ſcelera, vel inſatiabiles voluptates ad flagitia compellunt, & dedecorũ maculis inuſtos labe afficiũt ſempiterna. Eos autem rectè mortuos dixeris, qui datorem vitæ Deum neſcientes, atque animas ſuas à cælo in terram deprimentes, in laqueos æternæ mortis incurrunt. Quæ igitur tum faciebat in præſens, imagines erant futurorum, quæque in leſis afflictiſq; corporibus adhibebat, ea ſpiritualium figuram gerebant. Animaduertendum autem eſt morbos hîc ab Euangeliſta nominatos eſſe difficillimos, imò & curatu humanis artibus impoſsibiles. Nam quis hominum, niſi miraculo, ſurditatem, aut claudicationem, aut cæcitatem cuiquam ademit, quis mortuum excitauit? Nemo vnquam. Nam à priuatione ad habitum reditus non eſt. Vnde maxima Chriſto gloria fuit, has potuiſſe peſtes tollere, & malis ineluctabilibus

libus modum ponere. At lepra, inquies, ope humana tolli poteſt. Fatemur, ſed rarò, & vix etiã vnquam. Morbus is vocatur Lucretio elephas, Plinio elephantiaſis, Vocatur & morbus Herculis, ob vim inſuperabilem mali. Cornelius Celſus lib. 3. ca. 25. Hoc morbo, inquit, totum corpus afficitur, ita vt oſſa quoque vitiari dicãtur, ſumma pars corporis crebras maculas, crebroſque tumores habet, ſumma cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, molliſque quaſi ſquamis quibuſdam exaſperatur, corpus emacreſcit, os, ſuræ, pedes intumeſcunt. De hoc morbo etiam Paulus Ægineta lib. 9. cap. 1. tractat. Verùm quo morbus hic atrocior, hoc medicus qui tollit malum, eſt præſtantior. D. Aug. elegantiſsimè lib. 2. quæſt. Euangel. cap. 4. hunc morbum hęreſim interpretatur, Illoſque leproſos vocat, qui veræ fidei ſcientiam non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim abſcondunt imperitiam ſuam, ſed pro peritia eam in lucem proferunt, & ſermonis iactantia oſtẽtant. Nulla autem falſa doctrina, quæ non aliqua vera intermiſceat. Sic hæreſis ſępenumero ſua mendacia veritatis colore abſcondit. Gregorius Nazianzenus in carminibus Euangelij ſecundum Matthæum lepram, πικρὸν νοῦσον, hoc eſt, morbum amarum appellat.

Lucretius. Plinius lib. 26. Cornelius Celſus lib. 3. cap. 25. Paul. Ægineta lib. 4. cap. 1. Aug. li. 6. queſt. euã. Nazianze. in miraculis ſecundũ Math.

Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Hoc eſt, qui meæ infirmitatis fragilitatem cernens, me non negauerit. Chryſoſt. ait quòd hic occultè internuncios Ioannis percutit. Tectè enim & veluti obliquo verbere eorum diffidẽtiam ferit atque perſtringit. Neque tamen eorũ inuul-

Ioan. Chry.

inuulgat aut publicat dubitationem, contentus introrſum eos percellere, & veluti ipſos in ſuarum conſcientiarũ penetralia demittere. Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Vt enim operum meorum magnitudo nonnullis mouebit inuidiam, ita corporis infirmitas nonnullis erit offendiculo. Innuit iſthuc in Meſsia futu-
Eſaiæ 8. rum Eſaias: Erit, inquit, vobis Dominus in ſanctificationem, duabus autem domibus Iſraël in lapidem offenſionis, & petram ſcandali. Præ-
Lucæ 2. dixit & Simeon ſpiritu Dei afflatus: Poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël.

Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere de Ioanne ad turbas. Sic Iobum laudat Dominus, ſed
Iob, ca. 92. abſentem. Non eſtis, inquit, locuti rectum ſicut ſeruus meus Iob. D. quoque Paulus laudat Timothæum ſuum, non tamen in his epiſtolis quas ad eum dirigit, ſed in eis quas alijs ſcripſit. Docet igitur præceptor noſter aſſentationem ſummopere eſſe vitandam, neque quenque coram laudandum. Quid enim obſecro præſentem laudas? Si vir prudens eſt, totus pudore ſuffunditur, vix agnoſcẽs quæ ei liberalis tribuis: ſi verò imprudẽs eſt, extollitur & inflatur. Quid obſecro inanem inflas vtrem? Quid bullã euanidam, & mox deſituram excitas? Monitos etiam velim eos qui nonnunquam à viliſsimis ſcurris & aſſentatoribus in os laudantur, ne in lingua vanorum hominum ſibi gloriam queſitam vadant. Id pulchrè monet Perſius:

Non vnquam bibulas populo donaueris aures:
Reſpice quid non es, tollat ſua munera cerdo.

Cur

Cur per inane te rapi finis? Apes vbi arcano naturæ motu præsagiunt imminere tempestatem, lutum pedibus prehendunt, ac ita se onerant, ne vi ventorum abripiantur. Sic & nauis fluctus sulcatura marinos, graui arenæ saburra firmatur, ne turbinibus & procellis oborientibus, in saxa feratur & scopulos. O tutum nullis credere blanditiis. Vt igitur consultissimum est non admittere coram homines nos laudantes: ita quoque consultissimum neminem in præsentia extollere sua, ne cuiquam simus occasio ruinæ. Paulus igitur, quod supra dicere ceperam, laudat Timothæum, non in illis quas ad eum direxit epistolis, sed in ea quæ est ad Philipp. cap. 2. Neminem habeo, inquit, tam vnanimem, qui syncera affectione pro vobis sollicitus sit, ac Timothæũ. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Et D. Petrus laudat Apostolum Paulum in epistola sua, quæ ad illum non erat directa. Idcirco benè Esaias cap. 3. Populo meus, qui beatum te dicunt, in errorem inducunt. Huc omnino facit quod de Antisthene philosopho narratur. Is dicenti cuidam: ô philosophe omnes te laudãt & celebrant, acutè respondit: Quid igitur mali feci? quid criminis designaui? Sciebat quòd ferè populus laudet pessima. Suspecta ergo laus multorum. Vnde & existimabat Antisthenes turpe esse laudari ab omnibus. Priusquam igitur Christus Ioannem laudaret, eius discipulos à se dimisit, ne illi adulari videretur.

Philipp. 2.

2. Petri 3.

Esaie c. 3.

Quid existis videre in desertum? Arundinem vento agitatam? Sensus est, O viri cur toties vos recepi-

recepiſtis in deſertum, quorſum eò, aut cuius ſpectaculi gratia agminatim confluxiſtis? An viſuri arundines varijs auris ac ventorum turbinibus exagitari? Atqui iſtas in vrbibus veſtris ſpectare licebat, vbi pleraque ad gratiam dicuntur & fiunt. Vtinam nos tam eſſemus cõſtantes atque Ioãnes fuit, ſed cùm leues ſimus omnino, & nulla ſpiritus ſancti medulla confirmati, qualibet aura huc illucque impellimur. Oportet Baptiſtam noſtrum grande diuinæ gratiæ habuiſſe pondus, quòd aulæ Herodianæ neque Boreæ furentis minæ, neque blandi Zephiri, loco ſuo dimouere potuêre. D. Paulus miratur Galatas ſuos tam facilè, tamque cito transferri ab eo qui eos vocauit. Elegans carmen eſt Horatij lib. 3. Odarum, vbi ita canit:

Galat. 1. *Horatius.*

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida.

Inſtabiles iſtos homines, quos Chriſtus hic arundini comparat, Iudas Apoſtolus in epiſtola ſua appellat nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur. Notat Iudas dogmatum inconſtantiam. Certè apud Eſaiam Apoſtoli vocantur nubes, ſed quas aqua rectæ doctrinæ & ſapientiæ grauiores reddidit, quàm quæ vento aliquo circumagi queant. Tres illi apud Danielem prophetam adoleſcentes nequaquam erant arundines, omni ventorũ impulſu, modò in hanc, modò in illam partem flexiles: Dicebant enim ad regem Nabugodonozor, dum illius imperio in ardentem fornacẽ mitterentur:

Eſa. 40. *Daniel. 3.*

Rex

Rex noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis: quod si noluerit, notũ sit tibi, ô rex, quòd Deos tuos non colimus. Vult ergo Christus de Ioãne hoc dicere: Tametsi modò iaceat in carcere, non idcirco tamen iacet eius baptismus aut doctrina, neque palinodiam canet suarum concionũ, non, non, etiam si gladius ei cum lingua caput gutturque rescindat. Quicquid de me vobis, vel dixit, vel docuit, hoc constanter & calamo scribet, vel sanguine sigillabit, vel intrepidè libera voce confitebitur. Non est igitur arundo, ne erretis ô viri, non est arundo, sed quercus potius, sua mole consistens & pondere. Laudauerim ego, ait D. Ambrosius, virtutem gubernatoris, qui aduersus ventos obnititur, aduersus fluctus insurgit. Illum ego laudauerim, qui aduersis non frangitur, qui secundis non extollitur.

Ambros. in Psal. 118. vers. Paratus sum, et non sum turbatus.

Sed quid existis videre? Hominẽ mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiũtur, in domibus regum sunt. Ne quis putet Ioannẽ siue ambitionis, siue lasciuiæ causa, aut cupiditatis studio excidisse potuisse à sua stabilitate & opinione, quam de Christo prius habuit, ostendit eum Christus ab omnibus his fuisse omninò alienum, idque ex vestitu rigido quo amiciebatur, & deserto quod incolebat. Ambitiosi enim regum aulas nunquam non terunt, vnde facile officiorum pinguium odor mortalium cupidorũ naribus affunditur. Quid igitur visuri desertum tanto studio petistis, vt hominem holosericis vestitum intueremini? Hoc spectaculum non conueniebat eremo. Inter holoserica locus est la-

ſciuię,ambitioni,& adulationi. Qui locuſtis vi-
ctitat & melle ſylueſtri, qui pilis tegitur came-
li,qui coriacia zona cingitur, in hunc non cadit
huiuſmodi ſuſpicio. Illū adulari neſciſſe,vel ipſe
carcer arguit. Quòd ſi Herodis ſcelera,Hero-
diadiſque ſalacitatem, & petulantiam oculis
perunctis & conniuentibus cernere voluiſſet,
ac diſsimulare aulicum luxum, non fuiſſet re-
gibus, aut acceptior, aut gratior alter: eumque
à vertice ad talos vſque holoſericis,aut Dama-
ſcenis veſtibus exornaſſent. Sed molles veſtes
mollem,vt in prouerbio eſt,reddunt animum.
3. Reg. 18. Sachte cleederen/ſachte zinne. Tales erant Baa-
litæ,qui Iezabelis menſæ propter aſſentādi de-
xteritatem adhibiti ſunt, Elia interim fortiter
in tuguriolo vſpiam eſuriente. Tales & pſeu-
Phil 3. doapoſtoli, qui Paulo ieiunante, ventrem pro
Deo coluerunt. Tales & Arriani, quos Grego-
Nazian- rius Nazianzenus de veſtium ciborumque im-
zen. oratio- modico luxu & cultu,reprehendit. Tales Ioui-
ne 24. nianiſtæ homines molles & inertes. Tales Be-
gardi & Beguinæ, qui aſſerunt hominem non
obligari ad ieiunia, vbi ad perfectionis ſtatum
peruenerit. Ingens iſtorum hominum prouen-
tus,qui ſe perfectos cenſent,cùm nihil ſint mi-
nus. Imò eo deſcendunt veſaniæ,vt exiſtiment
etiam meraciori vino lautioribuſque epulis vi-
delicet,perdicibus,phaſianis,gallinis colchicis,
atque indicis, atque adeò caponibus, lepuſcu-
liſque præpinguibus, ſuas ſpirituales medita-
tiones, quas habent quoties volunt, adiuuari.
Quod ſi inciderint in cibos minus delicatos,
nauſeabundi abhorrent,queruntúrque hos ve-
heme-

hementer officere ſuis (quis non credat?) contemplationibus, ac remoram nō æſtimandam inijcere in intimiores cælos ſpiritu ſubuolantibus. Suaues homines, quibus cū cilicio Hieronymi, aut mordicante melote Baptiſtæ, nihil eſt commercij, cùm nimirum perfectionis ſtatum iam ſint adepti, nec patiantur carnis & ſpiritus pugnam, aut rebellaturientem exteriorem Adamum, habeantque in pace tabernaculum ſuùm. Aiunt quidam eas ab oſculis ſacerdotum non impediri à penitiſsimo cōtemplationis conclaui. Sed de his ſatis. Mollium veſtimentorum tantus eſt hac deploratiſsima tempeſtate, ferè vbique gentium, nō in regum aut principum ſolum aulis, verùm in mediocribus etiam familijs abuſus, vt illi reprehendendo ac ſuggillādo noſter calamus defatigaretur. Grauiter ſanè philoſophus ille, qui de veſtis precioſitate ſuperbienti, nō deſines, ait, de ouis virtute gloriari? Scribit Athenæus apud Lacedæmonios omnes ciuitate exactos fuiſſe, qui lanam varijs coloribus imbuerent. Huc facit vérbum Auguſti Imperatoris: Veſtis, inquit, pretioſa ac mollis, vexillum eſt ſuperbiæ, & nidus luxuriæ. Laudo Archidamum, qui Dionyſio Syracuſanorum tyranno veſtes aulicas, & ſplendidas donanti, vt ille his filias adornaret, reſpondit: Vereor vehementer, ne tali amictu puellæ meæ mihi deformes aut turpes videantur. Intellexit vir prudens & modeſtus virgines nullo cultu melius ornari, quàm ſimplici. Optimè itaque D. Paulus Apoſtolus: Non in tortis crinibus, auro, margaritis, vel veſte pretioſa.

Athenæus

1.Timot. 2

tiosa. Item mulieres, inquit, in habitu ornato, vel, vt nonnulli legunt, in habitu modesto. Mirum quàm vehementer inuehatur Aurel. Prudent. in matres Philocosmas, quæ filias suas non tam ornãt, aut comunt, quàm prostituunt. Sic verò canit:

Prudent. in Hamartigenia.

Tædet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei, quæ plasmata fuco
Inficiunt, vt pigmentis cutis illita perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.

De viris autem sese supra modum & rationem exornantibus, ita quoq; canere exorsus, ait:

Quid quod & ipse caput muliebris corporis, & rex
Soluitur in luxum? Cernas mollescere cultu
Heroas vetulos: opifex quibus aspera membra
Finxerat, & rigidos durauerat ossibus artus.
Sed pudet esse viros: quærunt vanissima quæque
Queis niteant: genuina leues vt robora soluant
Vellere non ouium, sed Eoo ex orbe petitis
Ramorum spolijs. fluitanteis sumere amictus
Gaudent, & durum scutulis perfundere corpus
Additur ars, vt fila herbis saturata recoctis
Illudant varias distincto stamine formas.

Sed dandum est, aiunt mulierculæ, nonnihil nostris maritis, qui nos cultas volunt potius quàm ingrata illuuie, & sordibus obsitas. His facilè respondemus, peruetustam hanc esse fœminis consuetudinẽ, vt per viros sese excusent & purgent, si quando de immodico reprehendantur ornatu. Testes huius mihi sunt Beda, & illo antiquior longè martyr Cyprianus. Sed verè, inquit Beda, D. Petrus mulieres admonet coërcẽdas, & ad ecclesiasticam disciplinam religiosa

Beda in priorem D. Petri epist.

ligiosa obseruatione moderandas, quę excusare cultus suos soleant per maritos: quanto id magis virginem fas est, cui nulla ornatus competit venia, nec diriuari in alterū possit mendacium culpæ? Potest tamen mulier nonnihil sese ob mariti oculos comere & ornare, modò modestiæ non excedat limites: cæci enim vxor, vt in prouerbio est, cui se componet? Sic filia Augusti Iulia cùm ornatior solito patri occurrisset, atq; osculum amplexumq; poposcisset, reppulit ille, & heus, inquit, filia, quid hic ornatus sibi vult? At illa tum quidem abiit, sed postridie modestiore occurrit veste, tū Imperator osculo eam excipiens, tali, inquit, filia ornatu mihi places. tunc illa, hodie nimirum pater ornaui me tuis, heri verò mariti oculis.

Sed quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis & plusquam prophetam. Sed quare, inquit Simeon Metaphrastes, dicit eum plusquā prophetam? quia prospectus est propinquissimus Messiæ aduentui. Oecumenius sic: Plusquam prophetam, hoc est, excellentiorem quàm sit propheta. In quo verò est excellētior? quia venit circa aduentum Christi. Nam ij præcones alijs sunt maiores, qui proximè regem præcedunt. Multæ stellæ præcedūt solem, sed ea quæ proximè solem præcedit, quam Luciferum appellamus. Quid ergo ô Iudęi venistis spectatum in deserto? Num prophetam aliquem? nam hi ferè in deserto versari solent, profectò non estis fraudati spe vestra. Vidistis enim nō solum prophetam, sed præstātius quiddam propheta. Hic enim is idem est, de quo vaticinatus est Malachias:

Simeō Metaph. de Io-an. Baptist.
Oecumen.

chias, Ecce ego mitto angelum, &c. Reliqui prophetæ venturum post se Christum, & salutem ab eo expectandam obscurius prædixerunt, Ioannes verò subingredienti Christo viã muniuit, populũ ad pœnitentiã prouocans, eiq; præsentiam Christi attestans. Alij prophetæ facti sunt, posteaquam fuerũt nati, hic etiam prophetauit antequam esset natus. Nam adhuc in vtero per duorum ventrum macerias cognouit miles ducem suum, & ei venerabiliter assurrexit. Exilijt enim præ gaudio.

Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, vt præparet viam
Malach. 2. *tuam ante te.* Quod Ioannes à Malachia angelus Dei appelletur, commune cum spiritibus cælestibus sortitus nomen, singularem quandã eius dignitatem ostendit. Ecce angelus est, lucerna est, Elias est, paranymphus, regnique cælorum primus prædicator, denique baptismi primus institutor est. Quod cùm ita sit, quis non audeat etiam ipsis angelis preferre Ioannem? Nã quòd illi puri sunt & casti, naturæ est: quòd Ioannes integer & castus est, virtutis est.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Pauperes euangelizantur. Hebraicè est beatificantur, Porrò euangelizantur, Græcis significat lætum accipiunt nuncium.

2.

Abeuntibus illis, cœpit Iesus dicere de Ioanne. Non laudat Ioannẽ Christus, sicut mulus mulum fricat, vt dicitur, aut vt manus lauat manum, sed vt de Ioannis constan-

constantia & integritate persuasus populus maiorem Ioanni fidem habeat de Christo prædicanti.

3.

Arundinem vento agitatam. Arũdinisimiles sunt, qui non semper sui sunt similes, sed huc illucq; facile pulsi, modò hęc, modò illa sentiunt. Vlulant cũ lupis, & cum ouibus balant. Hi fidem suam venalem habere videntur. Contra huiusmodi arundines ac auræ popularis mancipia, ait Sapiẽs: Non te ventiles in omnem ventum, esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui. Paulus etiam scribit Ephes. 4. Iam non simus paruuli, nec circumferamur omni vẽto doctrinę. Item 1. ad Corinthios 12. Stabiles estote & immobiles. Et ad Hebræ. 13. Optimum est gratia stabilire cor.

Eccl. 5.
Ephes. 4.
1. Cor. 12.
Hebræ. 13.

4.

Mitto angelum ante faciem tuam. Simeon Metaphrastes ait, quòd hoc nihil significat aliud; quàm proximè mittam. Ante faciem tuam, hoc est rectè ante te, ita vt tu proximè sis secuturus. Nã ij qui in progressu continenter præeunt regibus, maiorem habent cæteris auctoritatem, & sunt ei coniunctiores.

EVANGELIVM DOMINICÆ QVARTÆ ADVENTVS.

Ioan. cap. 1.

MIserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad Ioannẽ, vt interrogarẽt eũ, tu quis es? Incredibili desiderio Iudæi expectauerunt Messiam, hoc est Christum suũ. Iam enim completæ erant hebdomadę Danielis, iam ablatum sceptrum de Iuda, omniaque consonabant in foribus esse Christum. Magnam verò existimationem habuerunt de Ioan. Baptista, partim ex vitæ eius singulari asperitate, ac continentia, partim ex doctrinæ nouitate conceptã. Quam

Daniel. 9.
Gen. 49.

existimationem tam splendidam, alebat tempus. Rem itaque diligentius secum expendentes, tãdem consultum est visum illius animum pertentare, missis sacerdotibus quibusdam & Leuitis. Arbitratur Chrysostomus legationem hác esse factam odio nominis Christi, quo illius fama extingueretur, quapropter & Ioannem illi præferre contendebant. Discedunt tamen ab opinione Chrysostomi nonnulli. Nonnullam habebant de Christo suspitionem, sed ferre eum haud quibát, quòd illius doctrinam sentirent suis cõmodis, & affectibus aduersam. Hæc est enim mundanæ prudentiæ stulta sapientia. At Christus, cuius tota doctrina cęlestis est, noluit quicquam humanæ auctoritatis, admisceri doctrinæ euangelicæ. Nec egebat hominum suffragio, cùm à patre ad euangelicã doctrinam disseminandam esset delectus, & missus. Fortè ob hanc rationem à Sęnatu Romano, cuius tamen in orbe summa erat auctoritas, testimonium accipere noluit. Produnt enim idonei scriptores, ab imperatore Tyberio ad Senatũ esse de Christo relatum, vt in Deorum aliorum albo conscriberetur. Sed noluit superbus Senatus Iesu humilitatem agnoscere. Verùm non eget humano suffragio, qui patre natus est Deo rerum omnium creatore & gubernatore. Non absurdè verò aut ineptè hæc legatio committitur Sacerdotibus & Leuitis. Episcoporũ enim, sacerdotumque munus est, sollicitè ac sedulò prospicere, ne quid in grege ouium Christi enascatur mali, ac praui de Christo erroris, ne quæ lolia, aut zizania frugem lætam suffocent. Verum

rum quoniam nonnulli ecclesiæ proceres hac (heu pudor & dolor) tẽpestate indulgere malunt otio, venationi, aleæ, aqualiculo ac ventri (ne quid dicam sæuius) variæ de Christo eiusque mysterijs sacrosanctis vndique pullulant opiniones, & sectæ. Imò apud aliquos eosque paucos (credo) non quæritur vbi sit Christus, sed vbinam potius sit fiscus. Oportebat aliquoties synodos cogere (quas vocant) prouinciales, & sepositis affectibus diligenter dispicere, quibus copijs ac viribus, impresionem facientibus hostibus, iretur obuiam, qua arte, quaque industria gubernanda ecclesia, quo ferro recidenda Simonia, qua vi profliganda teterrimum vitium philargiria, deniq; quo consilio ac moderatione obortæ de religione procellæ sedari ac componi possent. Nunc verò mihi vide istorum cæcitatem, qua vel nolebant, vel nequibant perspicere ob oculos iam positam veritatem. Certè Ioannes non erat ex tribu Iuda, Ioannes non fuit natus puella virgine, sed anu. Esaias enim virginem, ait, concepturam. Neque Ioãnes natus fuit in Bethlehem, sed in mõtibus Iuda. Ioannes non fuit vocatus ex Ægypto, sed ex deserto. Verùm enimuero malitia semper est cæca, ac inuida. Propter inuidiam enim tribuunt Ioanni, vt adimant Christo. Deinde cernis hic mundi, carnisque ingenium, quæ, vel neglectis, vel despectis humilibus, suspiciunt celsa, ac in speciem magnifica. Sic Isaac arcanioris ignarus mysterij, filio suo Iacob, qui à spiritu sancto ad benedictionis paternæ capescenda munera delectus erat, cum moderati &

Esa. 7.

ſimplicis eſſet ingenij, crudum illum & agreſtẽ
Geneſ. 27. Eſau præferre ſatagebat. Sic Ieſſe reliquos an-
1. Reg. 16. teferre filios, Dauidem verò poſthabere vide-
Geneſ. 48. batur. Ioſeph quoque Ephraim ipſi Manaſſe præponere ſtuduit. Ita namque caro nonnunquam in rebus diuinis occæcatur, & viri alioqui pij, nõnihil humani patiuntur. At nũc operæ fuerit precium audire, quid Ioannes ad oblatos à Iudæis honoris ſingularis titulos, vel egerit, vel reſponderit: faſſus eſt itaque vir ille integritatis incorruptę, ſe non eſſe Meſsiã. Neutiquam enim vir ille, cùm ſpectatæ eſſet virtutis, ac ſingularis modeſtiæ, tanti ſplendoris nomenclaturam ſibi arrogare volebat, quem ſanè Phariſæus quiſpiam honorem lubenter fuiſſet amplexatus, imò per æqua & iniqua proſecutus. Sumus enim plerique ingenio philauto, & tanquam pyrauſtæ ad ſplendidi nominis fulgorem conuolantes, ambuſtis alis veluti flamma vltrice conſumimur. Huiuſmodi inanis gloriæ mãcipia, etiam diuinitatis ferè ipſius titulos nõ reſpuunt. Vnde ex ſuo ingenio Ioannem metientes, ſperabant eum facilè ad delatos honores reſpecturum. Quod ſi feciſſet, iam Chriſtum ob humilitatẽ ſibi exoſum, facile excluſiſſent.
Gregorius Sed falluntur inepti. Cùm enim, vt ſcribit Gregorius, tantæ eſſet virtutis, vt Chriſtus credi poſſet, maluit, & elegit ſolidè ſubſiſtere in ſe, quàm humana opinione inaniter rapi ſupra ſe.

Non ſum ego Chriſtus. Acſi dicat: Non ſum ego lux, ſed lucis mox orituræ nuncius. Non ſum ego medicus, qui laborantium, ac ægram animam iam vix trahẽtium incommodis mederi

deri possem, sed medici atque adeo ipsius archiatri sum nuncius, medicumque ostẽdo. Non sum sponsus, sed paranymphus, ac prodromus prę cursorque sponsi. Non sum verbum, sed vox verbi. Non sum Christus, nouæ Ecclesię caput, sed veritatem intrepidè profitendo fio huius capitis membrum. Non sum sponsus, sed mittor ad sponsam, vt sese tantis nuptijs exornare pergat. Ita mittebatur olim Eliezer, vt Rebeccam filio Abrahami deposceret. Et quamuis illa formæ esset luculentæ, qua vel agrestes & tetricos in sui pellicere potuisset amorem, voluit tamen hero suo seruare fidem, & ne digitulo quidem contingere, herili filio destinatam virginem. Eadem sanè fide erga Christum vsus est Ioannes, & se famulum sponsi & agnoscebat, & profitebatur. Hoc enim, inquit, Chrysostomus, frugi famuli munus est, heri sui gloriam non aucupari, sed etiam oblatam serio abs sese amoliri. Hæc militis quoque generosi, omnem adeptæ, paratæque victoriæ gloriam, ipsi transscribere duci, seu imperatori. Hic ego lubenter monebo Christi fideles omnes, ne honores, aut laudes ab hominibus sibi attributas faciles admittant, neque inanis gloriæ vento sese ferendos vltro circumferendosq; tradant. Cui vitio se M. Cicero, vir alioqui insignis & eruditus, plus æquo (teste etiam D. Augustino) se dedidit, atque affinem præbuit. Ciceronis vox est: omnes incenduntur ad studia gloria. Quin & stoici plerique hominem animal gloriæ esse dicunt. Xenophon quoque in Hierone hac nota hominem distinguit ab animantibus cæteris,

Genes. 24.

Aug. li. 5. de ciuit. ca. 13.

M. Cicero in proœmio 9. Tuscul.

Xenophon in Hierone

quod honore ac gloria tangatur. Verùm noster Augustinus longè aliter sentit. Tantò quippe Deo quisque est similior, quantò ab hac est immunditia mundior, ab hac peste semotior. Quæ vt in hac vita vix vnquam funditus eradicatur, ita proficientes animos tentare non

Lib. 5. de ciuit. c. 14. cessat. Imò, inquit Augustinus: tam est hoc vitium inimicum piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor vel amor, vt

Ioan. 5. Dominus dicat: Quomodo potestis credere gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est nō quærentes? Item de quibusdam qui in illum quidem credebāt, sed non audebant illud publicè confiteri, ait Euangeli-

Ioan. 12. sta: dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Quod sancti Apostoli non fecerunt, qui cùm prædicarent Christi nomen, vbi

Cicero in proemio q. Tuscul. improbabatur, sicut ille ait Cicero, iacent ea studia quæ apud quosque improbantur: verùm etiam summæ detestationis habebatur, tenentes à bono magistro eodemque medico mentium, si quis me negauerit coram hominibus, negabo eum coram patre meo: inter maledicta & opprobria, grauissimasque persecutiones, non sunt deterriti à prædicatione salutis humanæ, tanto fremitu offensionis humanæ. Qui ne propter humanam gloriam boni essent, do-

Matth. 6. cuit eos magister illorum dicens: Cauete facere iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Hactenus Augustinus. Pulchrum & elegans contra inanis gloriæ pestem consilium præbet. D.

Bernar-

Bernardus. Gloria nominis vestri quos fines non attigit? Sed audite cõsilium diligentis vos. Studete, quod in vobis est, hanc gloriam referre ad illum à quo est, si non vultis eam perdere, aut certè perdrab ipsa. Et rectè quidẽ Bernardus, nam quæcunque hominum gloria nisi ad eum referatur, vnde pij omnes olim gloriam expectant æternam, res est euanida, & nullius momenti. *Epist. ad Siciliæ regem Rogerium.*

Et interrogauerunt eum: Quid ergo, Helias es tu? Et dixit, nõ sum. Propheta es tu? Et dixit: Non. Negat se Heliam esse, non quòd non esset aliquo modo: Nam spiritu Heliæ erat præcursor Iesu Christi: sed quòd non esset ille Helias Thesbites, igniuomo quondam curru subuectus in aëra, quem in hoc seruari sensit propheta Malachias, vt aliquando secundi aduentus preco esset & præcursor, conuerteretque ignea linguę potentis virtute, corda patrum ad filios, & vicissim cor filiorum ad patres eorum. Legerant opinor sacerdotes illi hãc prophetiam, sed nequaquam intellexerant, neq; digni erant qui intelligerent tantum mysterium. *4. Reg. 2. Malach. ca. vlt.*

Propheta es tu? Et dixit: Non. At quomodo, inquit Theophil. negat se prophetam esse? Rogabant num esset ille propheta, de quo Deute. 18. prænunciauit Moses. Nam Moyses, cùm filios Israel tribus videlicet duodecim supra modum illius discessus discruciaret, hanc consolationem adferebat, quòd Deus scilicet prophetam sui quàm simillimum mitteret: monens interim vt illi ad nutum obedirent. Rogabant ergo, an ipse is esset, de quo Moyses olim *Theoph.*

tam ſplendidè prædicauerat. Chryſoſtomus verò & Cyrillus propter articulum qui eſt in Græco, ὁ προφήτης, non eſſe Ioannem in genere rogatũ, an eſſet propheta, ſed an eſſet ille propheta de quo Deut. 18. Atqui hęc intelligentia parum probabilis cuidam neotericorũ videtur, tum quòd ſi Iudæi de vate aliquo certo aut peculiari interrogaſſent alio à Meſsia, aliam continuo ſubieciſſent, videlicet hanc. Si non es ille vates, quis ergo vates es? id quod non faciunt, ſed quaſi non habentes quid nominẽt amplius, concludunt: Quid ergo baptizas? Chryſoſtomum tamen & Cyrillũ confirmant verba Origenis, qui ita ait: Latuit multos ea differentia quæ eſt inter prophetam illum cum articulo, & prophetam abſque articulo. Latuit hoc Heracleonem in ſuis commentarijs. Hos ſequitur Cancellarius Pariſiẽſis Ioan. Gagneius: Georgius VVycelius vtranque opinionem refert.

Et qui miſſi erant, fuerunt ex Pharizæis. Dixerunt ergo ei, quis es, vt reſponſum demus his qui miſerunt nos. Quid dicis de teipſo? Cùm iam illos defeciſſet percontandi materia, cõſumptis hominum de Ioanne ſuſpicionibus, vrgent vt ipſe de ſe profiteatur, quis nam ſit; & ne tergiuerſetur, vrgent auctoritate ſacerdotum, quo vel poteſtatis metu, fateretur omnino quis eſſet. Videmus te, inquiunt, vſurpare quippiam ſupra Phariſæos & ſacerdotes: Conſumpſimus iam omnem diuinationem noſtram, & tamen reſpondendum nobis eis, qui hanc ſciſcitandi prouinciam noſtris impoſuerũt humeris. Falli poteſt populus. Dic ipſe quis ſcis, cui enim al-

teri

teri quàm tibi ipſi notior? Sunt quibus hæc poſtrema interrogatio, videtur acrior & liberior cæteris. Nam non iam ex præſcripto mittentium loquuntur, ſed pro ſuo arbitratu, cum eo agunt. Sed non deijcient noſtram quercum. Prius aſſentationis aura eum fallere ſtudebant, nunc ſæuis aquilonibus eam concutere, ac loco mouere contendunt. At Ioannes noſter cùm non ignoraret ſibi cum legiſperitis eſſe negotium, gēte nimirum verſipelle & peruicaçi, ne quid videretur humana veritate proloqui, Eſaiæ ſe fulcit teſtimonio, docens ſe nihil eſſe aliud quàm Chriſti venientis præcurſorem, & iam ipſum adeſſe Dominum, quem oporteret purgatis animis ſuſcipere.

Ego vox clamātis in deſerto. Dirigite viam Domini, ſicut dicit Eſaias propheta, Rectas facite in ſolitudine ſemitas eius. Ego vox clamantis, inquit, Seruus ſum, & vias præparo Domino meo corda veſtra. Proinde vos doloſi & obliqui facite recta corda veſtra, ita vt Chriſtus Ieſus per vos iter facere velit. Notat Theophilactus poſt Chryſoſtomum, Ioannem ſeſe appellare vocem Chriſti clamantis. Euſebius Emiſſenus: Vox, inquit, Ioānes eſt, Chriſtus verò verbum, ſicut enim vox præcedit verbum, ſic Ioannes Chriſtum. Merito igitur Ioannes vox, & Chriſtus verbum dicitur, quoniam & naſcendo & prædicando & moriendo Chriſtum præceſsit. Hanc autem vocem illa tintinnabula aurea ſignificabant, quæ pendebant in veſte Aaron. *Exod. 28.* Hanc ſignificabant omnia illa muſicorum inſtrumentorum genera, quibus Dauid cantare

conſue-

consueuit, hanc psalterium iucundum cum cythara, hanc tubæ quarum sonitu iubilæus annus nunciabatur. Clamat ante Iesum, ecclesiæ
Genes. 41. sponsum, Ioannes. Sed quid mirum? Gene. 41. clamat preco vt coram Ioseph Aegypti præfecto, omnes genu flecterent. Ante Mardo-
Hesther cap. 6. chæum clamat Aman, inter Assueri regis satrapas facilè princeps. Verùm quid vel Ioseph, vel Mardochæus collati cum Christo? Quid vel Aegyptius, vel Assyrius illi præcones ad Ioannem? Magnum sanè vtrobique discrimen, atque ingens dignitatis interuallum. Sternatur itaque nostro Regi via sua. Sed quomodo obsecro? Primo complanentur colles ac montes, praua ac salebrosa loca & eruderentur, & componantur. Elegans sanè hæc est metaphora. Quando enim reges ingressuri sunt ciuitatem, viæ omnes qua est profecturus, verruntur ac expediuntur, impedimenta omnia, ac offendicula auferuntur, ne quid equorum pedes offendat, regémve aut proceres equi lapsantes offensantesque, aut concutiant, aut excutiant. Sed nunc mysticè. Vult D. Ioannes Christi iter esse expeditum, omniaque ea impedimenta quæ in genere erant humano, siue propter peccata, siue propter legis difficultatem esse procul eie-
Esa. 40. cta. Idque pulchrè ostendit Esaias ca. 40. Omnis, inquit, vallis exaltabitur. Id est, qui manent peccatorum pondere depressi, erigentur, per Iesu Christi euangelium. Et omnis mons & collis humiliabitur, Id est, qui nimium sibi tribuerunt hactenus, sibi, veniente in mundum reparatore Christo, fidere desinent, sed omnem spem ac fidu-

ac fiduciam in Christum collocabunt. Dirigite ergo viam Domini, inquit Esaias, imò & Ioannes. Defunctus est olim (fateor) Ioannes Baptista, verùm defunctus etiam dũ loquitur. Vox enim eius est, quam in hodierno euangelio audiris: Parate viam Domini, Iam, iam venturus est, iam iam exhibebitur orbi toties promissus, tot retro seculis expectatus Messias. Si autem cognosceretur quis, quantusq; sit, qui est venturus, quantaq; sit prestiturus his qui ipsum veniẽtẽ sunt recepturi, haud pigeret nos parare viã.

Rectas facite in solitudine vias eius. Viæ curuæ & obliquæ efficiunt, quo minus prospiciamus aduenientem saluatorem, deinde & iter molestum reddunt atque difficilè. Sensus est: Qui obliquis vijs dolo malo ac fraudibus ad amplas peruenistis opes, beneficia, & pẽsiones, qui decimationibus iniquis (nam & æquæ iustæque sunt) ingentem nummorum vim accumulastis, qui, quę multorum sunt, possidetis soli, pœnitemini, & quod in vobis obliquũ est, tortuosum, ac flexuosum, fiat rectum. Sed & iuxta Esaiam aspera fiãt in vias planas, id est leues. Inueniuntur homines quidam duri, asperi, & difficiles, atq; tales omnino, qualis apud Terentium inducitur Demea. Hi nisi hanc morum asperitatem deponant, non poterunt recipere Christũ. Amat ille vias leues & suaues ac æquales, hoc est, mentes & voluntates huiusmodi. Si Exodi cap. 19. legis, quomodo lotis vestibus se parare debebant Israëlitæ ad accipiendam legem, quantò se debent parare diligentius Christiani, ad excipiendum legislatorem.

Dixe-

Dixerunt ergo ei: Quid ergo baptizas, si tu nō es Christus, neque Helias, neque propheta? Ecce, inquit Chrysostomus, quando adulatione nihil efficiunt, ad minas conuertũtur, & calumniam struunt. Sed vbi legistis ô prudentissimi & oculatissimi legati, vbi legistis, vel Heliã, vel prophetam aliquem baptizaturum? Imò vbi legistis Christum aqua baptizaturum? Ioannes hic

Matth. 3. aiebat eum baptizaturũ igni & spiritu, Matth. cap. 3. Vitiosum igitur ac elumbe enthymema est, Tu non es propheta, vel teipso teste, neque Helias, imò neque Christus, ergo nō potes baptizare. O acutos dialecticos. Sed velim à Zenonibus, ac ingeniosis Chrysippis istis, mihi probari hanc cōsequẽtiam. Sed quid? Num ad huiusmodi procellas & irruentes fluctus nostra cedet aut concutietur rupes? Haud quaquam. Non est, quales sunt huius sæculi homines, qui ad omnem flatum mutant fidem, quemadmodũ & deliri senes sua mutant testamenta. Hoc certum cauterium atque sigillum euersæ ac erroribus corruptæ conscientiæ est, quo hæretici cognoscuntur, doctrinæ inconstantia. Semper illis noua meliora. Imò perinde atque simius nunquam est quietus, sed saltat ab vno loco in alterum, ita & hæreticus planè inconstans est ac cothurno ipso versatilior. Figuràm ac naturam hæreticorum ad viuum nobis exprimit Saul, qui Dauidem modò recipit, modò eijcit, modò inuitat, modò fugat: sic isti in sua duntaxat inconstantia sunt constantes, modò fidem admittentes, modò repudiantes.

Respondens eis Ioan. ait, Ego baptizo aqua, Sed medius

medius vestrum stetit, quem vos nescitis. In aqua & non spiritu (ait Eusebius Emissenus) baptizabat Ioannes, quia peccata non soluebat, sed tantum corpora lauabat, & Christi baptisma baptizando significabat. Illius igitur baptisma, vmbra quædam erat & significatio melioris baptismi. Sed Ambrosium quoq; nostrum audiamus: Legisti, inquit, quòd tres sunt qui testimonium dant in baptismo, aqua videlicet, sanguis, & spiritus. Quid aqua sine cruce Christi? Elementum est commune, sine vllo sacramenti effectu. Aqua non mundat sine spiritu. Theophil. ait Ioannem habuisse imperfectum baptismum, quod erat in sola aqua non habente peccatorum remissionem, sed præparante ad baptisma quod dat remissionem peccatorum. Nunc Chrysostomum audiamus: Baptisma, inquit, Ioannis non habebat remissionem peccatorum, hoc enim erat munus baptismatis Christi. Idem docet D. Hieronymus aduersus Luciferianos, & martyr Ciprianus Epistola ad Iubaianum. Docet & Augustinus contra Donatistas lib. 5. cap. 9. & 10. Sequuntur hos neoterici, & inter scolasticos cum plerisque cordatioribus scolasticorum omnium facilè princeps D. Thomas Aquinas. Erasmus quoque ait, tantum aqua constat baptisma Ioannis, non abluit sordes mentium. Miror verò velin hoc vno (cùm sint multò plura, quæ in illius catechismo stupori fidelibus sint & horrori) Ioan. Monhemium grammaticum, qui contra hunc torrentem natare ausus, his patribus vel nō lectis, vel neglectis Ioannis baptismum

Eusebius Emissen.

Ambros. li. de ijs qui mysterijs initiantur, cap. 4.

1. Ioan. 4.

Theoph. in Ioan.

Chrysost. homil. 10. in Matth.

Hieron.

Cyprianus.

Aug. lib. 5 contra Donatist.

Christi baptismo æquiparârit. Cui fortissimè respondet in Censura sua Coloniensis Academia, quæ ex hoc loco Ioannis, & ex illa Marci sententia, ego baptizaui vos aqua, iste verò baptizabit vos spiritu sancto, apertè commonstrant Ioannis baptismum carere gratia, Christi verò gratiæ misericordię & remissionis peccatorum esse fœcundissimum. Quod si obijciatur nobis tractatus Basilij Mag. de baptismo, respõdemus eum tractatũ versum à Zwingliano quodam, atque ita sensum geminum esse deprauatum. Nam libello de exhortatione ad baptismum ita scribit. Initiatorium erat Ioannis baptisma, Christi verò perfectorium. A peccato illud auocabat, istud autem Deo coniungit. Quod si non fuerunt diuersa baptismata, dic quæso Monhemi, cur retincti sunt, qui Ioannis baptisma susceperunt? Id enim per Paulum factum esse constat, Act. cap. 19.

Censura Coloniens. ædita anno 1560.

Basilius.

Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Quòd si Ioannes non est dignus (inquit Chrysostomus) qui Christi corrigiam solueret, quo nos loco ponemur? Quid nos innumerorum scelerum pleni dicemus, qui tantò sumus Ioanne inferiores, quantò terra minor est cælo?

Corrigiam calceamenti. Ambrosius lib. de instit. virginis ca. 14. ita interpretatur. Non sum dignus, vt mysterium incarnationis eius, angustijs mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis comprehendam. Concinit Latino Ambrosio Theophilactus Grȩcus. Calceamentum (inquit)

(inquit) est aduentus Domini ad nos, corrigia verò, est modus incarnationis, quo verbũ Domini vnitum & quodammodo colligatum est corpori: Hunc modum soluere impossibile est. Quis enim posset soluere, quis intelligere, quò nexu Deus corpori colligatus sit? Simplicissimè autem & optimè sic interpretari licebit: Non sum dignus calceamentum eius soluere, hoc est, vt vilissimi mãcipij obsequium ei præstem. Matthęus habet, non sum dignus calceamenta eius portare. Clarissimè etiam locum hũc interpretatur Eusebius Emissenus. Christi, inquit, calceamenti corrigiam soluere, est eius humanitatis & mortalitatis mysterium prædicare. Alia nostra indumenta non è coriò, sed ex alia materia fiunt, calceamenta verò carnea sunt, vnde & pro carne ponuntur. Vide igitur quantum se humiliauit præcursor Domini, qui se indignum esse dixit, qui non solùm eius diuinitatis, sed & eius humanitatis mysterium nunciaret. *Eusebius Emissenus*

Hæc in Bethabara facta sunt, vbi erat Ioannes baptizans. Diligentes historiographi, gaudere solent rerũ memorabilium topographia. Testatum igitur hic vult Euangelista colloquium hoc inter Ioannem & legationem Hierosolymitanorum Iudæorum, non in obscuro loco, sed in omnium celeberrimo loco factum, nempe coram ingenti hominum multitudine. Vbi magna frequentia celebrabatur Ioannis baptismus. Locus hic nobilitatus fuit cede regum Madianitarum, Oreb & Zeeb, vti legimus Iudic. cap. 7. *Iudic. ca. 7*

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1

Helias es tu? Verosimile est Iudæos non intellexisse prophetiã Malachiæ prophetæ Heliam promittentis, quodq; ille dixit de secundo Messiæ aduentu, istos intellexisse de primo. Quærunt ergo an ipse sit ille Helias. Verùm hic nascitur scrupus. Sciebant enim Ioannem esse Zachariȩ filium, præsertim cùm illius natiuitas fuerit celeberrima, & per montosam Iudæã decantatissima. Quapropter rectius dixeris, creditam olim Iudȩis sicut & modò παλιγγενεσίαν, hoc est, iteratam generationem, quam olim & Pytagoras somniauit. Huc facit quòd Herodes putauerit Ioannem à se capite truncatũ, rursus vita donatum, & iam vulgò Iesum appellari. Ex quo rursus errore, & vulgi pars Dominũ Heliam, pars Hieremiam, aut aliquem esse prophetarum, existimauerit. Sic & nũc ducti eadem opinione, rogant num Ioannes sit Helias. Non erat Ioannes persona Helias, sed virtute & imitatione. Quapropter sic intelligere debes verbum Christi, Matthæi 17. Vbi ait, Dominus Helias iam venit, & si vultis scire, ipse est Ioannes Baptista.

Matth.17.

2.

Ego vox clamantis. Quibusdam videtur hic esse Hebraismus. Vox clamantis, id est, vox clamans, vocisq; nomine vocor ab officio clamandi, sicut ab orandi officio, Aaron dictus fuit os Moysi. Eadem est phrasis pauperes sanctorum, pro pauperibus sanctis, ad Roma.15. & 1.Timoth.3. mysterium pietatis, pro mysterio pio. Sic dicimus linguã Belgarum vel Alemanorum, pro lingua Belgica aut Alemanica. Alij Ioannem vocant vocem clamantis, videlicet Christi.

3.

Medius vestrum stetit. Theophilactus legit stat pro stetit. A Theophilacto, non omnino videtur discedere

dere Erasmus in paraphrasibus. Christus, inquit, tanquam vnus è populi numero versatur in medio vestrum. Et ob id à vobis despicitur, quòd iuxta mũdi æstimationem, humilis & obscurus nulla pompa earum rerum sese venditans, ex quibus mundi cultores æstimant hominem.

4.

Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est. Ante me factus est, nempe generatione diuina. Nõ enim est πεποίηται, sed ἐγένετο, quod nunc genitus, nunc factus interpretari possumus. Gręci verò ferè aliter interpretantur. Videlicet, Ante me factus est. Id est venerabilior & gloriosior apparuit. Et sic prior fuit dignitate. Istud indicat Eusebius Emissenus. Factus est, inquit, Dominus Iesus ante Ioannem, vnde & eum tanquam Dominum sequitur. Ante enim hic non temporis, sed ordinis habet significationem. Prior tamen interpretatio simplicior apparet, & minus coacta.

5.

Hæc in Bethabara facta, &c. Bethabara non Bethania legendum esse post Chrysostomum, Theophilactũ & Originem, monent Iansenius & VVycelius, eo consilio opinor, & ratione, quòd Bethabara sit iuxta Iordanem, quod ex ca. 7. Iudicum liquere potest. *Iudic. 7.*
Quidam putant hunc locum ita dictum, quòd ibi *& 18.*
esset traiectus Iordanis. Vnde & verisimile est Ioannem hunc locum sibi delegisse administrando baptismo, quod ibi ob loci frequentiã magna semper esset hominũ multitudo. Non discedit à Chrysostomo Erasmus. Contẽdit tamen Gagneius propterea quod latina exemplária, & Cyrillus Gręcus habeant Bethania non debere legi Bethabara, putátque aut locum hunc binominem fuisse, aut Bethanias duas fuisse. Sed viderit ille, cùm altera lectio graues habeat patronos. Ego verò tametsi nullius sim addictus iurare in verba magistri, priorem lubentius sequar sententiam.

6.

Qui post me venturus est. Non fuerit hic inutile notare ex Georgio VVycelio mysticam huius sententiæ interpretationem. Ait igitur: Oportet prius Ioannē,id est,pœnitentiā ad nos ingredi, priusquā Christus ad nos veniat.Pœnitētia enim pręcedere debet misericordiā. Vnica via est Ioānis & Christi, sed ille debet cōplanare per pœnitentiā montes & colles superbiæ,& tum humilis,& māsuetus Iesus, alacer succedet.Rogo te igitur Christiane frater,sinas ad te ingredi pœnitentiæ præconem Ioannem, & proculdubio sequetur veniæ largitor Christus. Oportet prius parari,atque ornari hospitiū. Quod si quispiam ostium præcludat Ioanni, eum non dignabitur visitatione Christus. Non enim facit sui copiam peccatoribus, nisi pœniteant. Clamat etiamnum hodie vox Ioannis: Dirigite viam Domini,sed prohdolor paucissimi aduertunt,malúntque ad venenatos antiqui serpentis sibilos,pronas diducere aures. Sponsi quidem vocem auidis auribus excipiunt, hauriúntque, sed paranimphum & preconem pœnitentiæ non lubenter audiunt. Vtinam tandem peccatis nostris finem modúmque ponamus,vel saltem vbi peccatum est,ad salubrem pœnitentiæ antidotum nos conuertamus.

F. AR-

F. ARNOLDVS HALSBERGIVS HYPERIVS DOMINICANVS, CHRISTIANO Lectori.

CVM *vidissem Magistri N. Baccherij conciones, incudi literariè iam esse cõmissas, & in natali Christi vnam aliquam desiderari, operæ me pretium facturum sperabam, beneuole Lector, si ea quæ aliquando coram plebe Louaniensi, in illa solennitate declamauit, quæq́ ipse rudi tum papyro, tumultuario stylo impressi, illeuiq́ (eram enim illius, si quis alius, studiosus auditor) in ordinem vtcunque expolita redigerem, & Velpij nostri prælo, vna vt ederētur, adiungerem. Id quod tibi, amice Lector, nõ ingratum fore confido. Quod eo sanè feci consilio, ne concio tam insignis, & elegans, cum blattis & tineis diutius rixaretur, ac muta adhuc papyro delitescens, suo interim fructu tum ecclesiasten, tum populum fraudaret Christianũ. Non enim immemor sum illius Ecclesiastici: Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Et illius Oratij:* Eccl. 10.

Paulum sepultæ, distat inertiæ Lib. 4. Car. Ode 9. ad Lollium.
celata virtus.

Vale amice Lector, ac nostra quali quali industriola fruere, & tyronis tui opellam, inter veterani militis lucubrationes, pro tua humanitate numerari legiq́ patere.

IN SOLLENNITATE
CHRISTI NATI.

Luc. cap. 2.

EXIIT *edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, &c.* Quum iam adesset tempus illud, quod ante infinitas annorum miriades redemptioni humanę fuerat pręstitutum, quo omnes intelligerent vbique gentium, quàm latè Roma porrexisset sui regni pomeria, totum orbem describi, per Augustum communi edicto decretum est. Quod equidem edictum factum esse constat Anno ab orbe condito ter millesimo nongentesimo septuagesimo, anno verò, Octauij Augusti Cæsaris circiter quadragesimo secundo. Quo etiam tempore (vt ab Orosij non discedamus verbis) ab oriente in occidentem à septentrione in meridiem, ac per totum Oceani circulũ vna pace omnibus cõpositis, deuicto quoque Anthonio post bella atrocissima, accessit Augustus Imperator: & iã tertiò Iani templum clausit, quod quasi armorum receptaculum videbatur. Cuius quidem phani portas, ex eo ferè per duodecim annos quietissimo semper otio obseratas, rubigo etiã ipsa consignauerat: nec prius vnquam nisi sub extrema Augusti senectute pulsatæ, & seditione Atheniensium, & Daconum commotione patuerunt. Neque sanè quisquam putet id casu obtigisse, vt Dei Opt. Max. Filius in hunc voluerit prodire mundum, quũ iam omnibus bellis essent indictæ feriæ, vniuersisquę bellorum turbi-

Orosius li. 6. cap. 22.

turbines consopiti. Id enim non fortuna accidisse multo ante tépore prædixerat Psalmicen ille Iesseus, ijs verbis: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Et Esaias ca. 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, & lãceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra in prælium. Pulchra certè pacis periphrasis. Idem quoque videtur, licet verborum quibusdam inuolucris Psaltes prædixisse, quum ait: Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Pluuia sine strepitu aut sonitu in lanas velleris illabitur, stillicidia autem seu stillas roris, videmus in ipso diei crepusculo, herbis, graminibusque inhærescere, licet sub noctem non audiantur. Bella verò tempestatibus comparari, omnibus ferè est conspicuum. Inde belli tempestas, frequens est idoneorum scriptorum locutio. Tempestates enim miro cum sonitu, prosternunt ædificia, vellicant arbores, proterunt fruges, sata, læta, boumque labores. Sic & bella omnia ferè euertere videmus: In pace verò seruntur agri, & messis inde nata ditat cum fœnore agricolam, ita vt rectè dictũ sit: Pacis alumna ceres. Quare non abs re vates Regius, non sonoræ alicui tempestati, sed placidæ cuidam pluuiæ Christi aduẽtum comparandum existimauit. Cessa ergo mirari, cur altissimo dato pacis otio, nasci velit clementissimus nostræ salutis autor. Nam is est iucundissima, mitissimaque illa columba, quę humano generi varijs, sæuisque fluctibus iactato per multa annorum curricula, ramusculum oliuæ

Psalm. 71
Esa. 2.
Vide D. Tho. par. 3. Quæst. 35. art. 8. &c.

Genes.3. attulit, pacemque longè desideratissimam, terris iam redditam nunciauit. Porrò quo longius per annorũ spatia à Christi natali discedit mundus, hoc magis concutimur bellorum procellis, & magis, magisque insurgent semper atrociora, donec aduolauerit nigerrimus ille coruus Antichristus, dirum profectò mortalibus omen futurum. Id iam experimur. O nos miseros & afflictos qui etiam modò videmus totum ferè orbem feralibus dissidijs conflictari, feruere seditionibus, ardere bellis. Sed quis ijs omnibus plausibilem tandem finem inijciet? Audi. Princeps pacis. Ab ijs malis liberaturus est nos Iesus, perducendo ad gloriam, vbi non erit mors, neque clamor, sed nec vllus dolor, &c.

Apoc. 21. Aug. lib. 21. de ciu. Dei, ca. 22.

Hæc descriptio primo facta est præside Siriæ Cyrino, & ibant omnes vt profiterentur in ciuitatem suam, &c. Habetur aliquando descriptio, vt eorum cognoscatur numerus, qui principi nomen dant, subiectosque se profitentur. Talem Dauidis regis iussu olim factam sacræ testantur literæ. Interdum fit descriptio, vt exacta habeatur notitia, quàm cuique res familiaris sit angusta, vel ampla: seu quãtum quisque habeat, tum opum, tum omnium rerum.

Centum auri pondera fului
Ducenta argenti, pecoris stabula alta bidentum
Millia, tum caulasq; amplas, tum iugera terræ
Culta, atque incultæ, Syluas sterilesq; myricas
Annumerant, & gramineo depicta virore.
Pascua læta boum, quibus vndiquam rite redactis
In massam, rex aut principis præpingue tributum
Colligit.

Talem

Talem fuisse euangelicam hanc descriptionem, inter eos qui res antiquas prodiderũt posteris, testis est Iosephus. Tale nimirũ, vt omnium explorata fortuna, tributum aut censum exsoluerẽt, iuxta eam quam nacti essent facultatem. Illi verò qui huic negotio prȩerant, censores vocabantur. A Iosepho tamen dissentit Orosius, & putat priori modo descriptionem factam fuisse. Cuius sententia probabilior mihi apparet, quia si discutiendæ venerant facultates, quid opus cuiquam erat ad natale solum reuolare? quin potius eos ibi describi fas erat, vbi quisquam sua prædia, auiaria, piscinasque habebat. Inoleuerat verò mos, vt singuli describendi, nummo aliquo oblato, professionem suam testatam relinquerent. Sed meritò in dubium vocatur, quomodo vniuersus orbis descriptus dicatur à sacro Euangelista. Nam si cõsulatur Ambrosius cum Suetonio, Gotthos, Armenos, Indos nõdum armis Augustus edomuerat, quamobrem neque fecerũt imperata. Deinde auctor est Cornelius Tacitus, quomodo Quintilius Varus legionũ suarum magnam viderit cædem in Germania, quare & Augustus noctu & interdiu merẽs exclamauit: Quintili Vare redde legiones, & caput illisit parieti anxius animi ob rem perditam. Verùm Hyperbolica hæc est locutio, non infrequens literis sacris. Ambrosius vniuersam hanc descriptionem ad mysterium trahit, & ait potius ad eum pertinere, qui iam totius mundi nascebatur monarcha, cum quo si cõferatur Augustus, nil aliud erat quàm fœdum vileque mancipium.

Iosephus lib. 18. c. 1.

A quo

A quo mysterio alienum non est illud quod refert Orosius, Augustum nempe hoc tempore nomē Dominus recusasse, quasi præsagientem eum iam natum, qui cæli terręque gubernacula in suo solius arbitrio habens, solus Dominus vocitari deberet. Et vnde quæso in idololatra, quod hominū genus ferè omnem fœlicitatem ex ambitione, stolidisque ijs titulis metiebatur, animus tam demissus? Mouit eum forsan non parum prodigiosum illud spectaculum, quod scriptum reliquit Eutropius. Quum enim Augustus extincto Anthonio, ex vrbe Appollonia Romuleam vrbem intraret, circa horam tertiam liquido & puro cælo circulus ad speciem cælestis arcus, orbem solis ambijt, quasi iam aliquis adesset, qui solem cælumque suo imperio cingeret. Potuit quoque ei nonnihil timoris inijcere, Delphici oraculi, seu Pithij Apollinis inauditum silentium. Nam plurimis rebus fœliciter gestis, ad oraculum Pithij Apollinis veniens (sacrificio dæmoni oblato) quęsiuit, quis post eum Romanum administraturus esset imperium? At quum nullum ederetur responsum, alterum quoque adiecit sacrificium, denuoque rogauit, quid oraculum quondam ita verbosum, nūc tandem obticuisset. Tū illud parua interposita mora ad hunc modum respondit:

Me puer Hebræus Deus diuos ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemq́ redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Tali accepto responso, Cæsar in vrbem rediens, in Capitolio aram nō mediocris magnitudinis

li. 6. ca. 22

libro 8. rerū Romanarum.

Nicephorus li. 1. ca. 17 Ecclesi. hist.

tudinis extruxit cum eiusmodi Latina inscriptione. ARA PRIMOGENITI DEI. Sed quo rapior? Ad alia igitur accingamur.

Ascendit autem & Ioseph à Galilaa de ciuitate Nazareth, in Iudaam ciuitatem Dauid, qua vocatur Betleem, eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria, &c. Apparet in hac descriptione (ipso Iansenio teste) & mulieribus fuisse præceptum profiteri, & censum pendere. Quis enim sanæ mentis credat Ioseph sanctam Theotocon secum adducturū partui iam vicinam, nisi Cæsareo edicto vrgeretur? Quare verò desponsata fuerit D. virgo: ratio est, quam habet magnus ille Basilius de Christi generatione. Per desponsationem, inquit, initia expressa sunt nuptiarum, vt Ioseph domesticus puritatis Mariæ esset testis, & ne calumniosis obtrectatoribus foret obnoxia, sponsum habuit integritatis suæ custodem, & testem. Affertur & ratio altera, nimirum vt virginitas eius, seculi huius principem lateret, & nuptiarum nomine suspensus facilè deluderetur. Virgines enim imprimis obseruabat, callidissimus ille serpens diabolus, è quarum albo vnam aliquam parituram cognouerat, ex vate dicente: Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c. Sic olim Dauidis regis inunctio, sub specie victimę vituli celebrata est, ne eam præsentiret Saul. Testatur id 1. Reg. li. cap. 16.

Basilius de humana Christi generatione.

Esaias 7.

1. lib. Regū Cap. 16.

Factum est autem quum essent ibi, impleti sunt dies Maria. & peperit filium suum primogenitum. Factū est, inquit, quum essent ibi. Vbi? in Bethleem. Admodum congruebat in domo panis

nasci, & in lucem efferri panem angelorum, & alimoniam hominum, quam qui ederit, nõ morietur. Iohan. 6. Prudẽtius vocat Bethleem caput orbis. Hieronymus ad Pammachium commemorat simulachrum Adonidis (qui ob eximiam corporis formam Veneris amasius fuisse perhibetur) ibi olim à gentilibus collocatum. Sed pietate permotus Constantinus Imperator, quod totius puritatis princeps Christus ibi natus esset, idolum illud miserandum sustulit. Minimè certè conueniebat, vt iuxta incunabula virginis, amasius consisteret impuræ meretricis. Non decebat tam fœdum idolum, tam mundum inhabitare domicilium. Prodidit id scripto Eusebius libro 3. de vita Constantini. Non immeritò sanè princeps ciuitatum Betlehem vocatur. In alijs enim quantumuis sint celebres, nascuntur ex peccatricibus peccatores hic verò nostræ humanitatis induitur inuolucris, cuius meritis omne peccatum condonetur. Imò inclyta Roma, Babylon superba, Treueris & Damascus antiquæ, Alexandria, Persepolis inuident tibi, ô Betlehem tuũ puerperium. Neq; hoc otiosè factũ putemus, quòd vt in humili concipitur oppidulo, ita etiam obscuram delegerit ciuitatulã in qua nasceretur, in eum opinor scopum, vt mortalium comprimat supercilium. Natura enim comparatum videmus, quòd sicut nataliũ, ita & patriæ splendor, non parum superbiæ materiam soleat terrigenis ministrare. Porrò, vt omnem nostrum compescat fastũ, eo ordine hæc instituere voluit. Itaque Christus ab ipsis omnino incuna-

Euseb. li. 3 de vita Constãtini.

bulis

bulis, vniuersam mundi pompam atque arrogantiam calcat. Cur enim de patria nobili glorietur Christianus, qui totius mūdi iubetur esse peregrinus? Quid gloriæ confert patria (vt rectè Chryso.) nisi & huic addatur meritum virtutis? Et vnde egregię illę Fabiorum, Pisonum inter Romanos familiæ, nisi à fabis & pisis sua traxere cognomina? Lubens prętereo Ciceronem & alios. Qui verò exactius inquirit, quo tempore Christus Dominus sit natus, Rupertum consulat li. 3. de diuinis nominibus, ca. 16 Is scriptum reliquit, intempestæ noctis silentio seruatorem natum fuisse: Quod pręter priscam ecclesiæ traditionem, quæ peruigilio hac nocte operam ab antiquo dedit, quasi gratiam referens de tam immenso beneficio, confirmare potest, quòd angelus tum locutus fuerit pastoribus. Deinde nocte eum nasci permultū conueniebat, quo insinuaret, quòd verus esset iustitiæ sol, qui tollere veniebat, huius seculi tenebras, & noctem. Quæris quæ istæ fuerint tenebræ? crassissima ignorantiæ caligine perfusus erat vniuersus hominum cœtus. Philosophos Deus dederat in reprobum sensum, Roma. 1. Magni reges & monarchæ, ligna lapidesquam colebant, Nonnulli Ethnicorum in eam venerant dementiam, vt symias, serpētes, canes, boues, imò etiam cepe, porrum, pro numine aliquo venerarentur, ac colerent. An non horribiles tenebræ? Hac igitur nocte illuxit sol ille, qui tetram hanc caliginem profligare potest. Populus, ait Esaias, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ

Chrysost. homil. 9. in Matth. in opere perfecto.

Rom. 1.

Esa cap 9.

vmbræ mortis lux orta est eis. Et Sapientiæ cap. 18. Dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu mediũ iter peragerct, omnipotens sermo tuus domine à regalibus sedibus venit. Quod Christus nocte natus sit, vrget Tertullianus libro cõtra Marcionem. Bernardus dicit eum natum tempore acerbissimæ brumæ. Solet enim December inter Hybernos menses, si quis alius, esse fœcundus niuis & glaciei. Hæc omnia pius ille Bernardus solitis suæ deuotionis affectibus fusius prosequitur, Sermone 3. de Christi natali.

Theophyla. *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit.* Theophilactus: Primogenitus vocatur qui primo nascitur, etiam si nullus postea sequatur, Basilius. Quod dictum est primogenitum, non omnino ad sequentem prolem pertinet. Idem contra impij Heluidij figmenta confirmat Hieronymus. Sed non expedit profundius, hanc camarinam mouere.

Basilius de Christi humana generatione.

Pannis eum inuoluit. Quanta est pauperies matris Christi? Quanta verò offertur consolatio ijs quos eadem paupertas telo suo percussit? Cessent igitur lachrymis querelisque se cõficere pauperes, quum videát omnium regem ad extremáque se demisisse paupertatem. An non magna dementiæ species malùm malo addere, perinde vt si quis nonnulla facultatum parte exutus, quicquid reliquum est, in mare proijciat, atque ad eum modum fortunam suam deploret? Ecce ab omnium rerum contemptu, vitam auspicatur, summus ille cæli, terræque monarcha. Augustinus: Pannis obuoluitur, vt scissam

Aug. serm. 20. de natal. Christi.

ſciſſam humani generis vnitatem ſuo redintegraret in corpore, totumq; immortalitatis veſtimentum purpureo ſanguinis colore fulgens, in cæleſtia regna deferret. Iacet in pannis, ſed regnat in cælis. Sedulius libro 5. Carminum:

Omnia qui propijs veſtit naſcentia donis,
Obſitus exiguis habuit vel anima pannis.

Attamen veriſimile eſt, mundā fuiſſe D. Mariæ pauperiē. Nam vt vulgari patrioq; fertur prouerbio, Suylicheyt en iogheen heylicheyt. Imò ſepiuſculè eam cogitaſſe arbitror, quibus lintheis natum recenter puerulū componeret, quibuſque faſcijs tenellos artus obuolueret, quo loco lilium conuallium, eſcam angelorum, manna deſerti, odoratiſsimumque illum floſculum reponeret. Nec mirum quòd ipſa inuoluit, licet iam recens puerpera, quum natus ſit citra omnem matris dolorem. Hieronymus quoq; contra Heluidiū ait, nullam interceſsiſſe obſtetricem. Ipſa enim mater ſingularis huius, imò diuini puerperij munia diligenter obibat: Quia ſicut pomum punicum iam maturū, nullo negocio è ramuſculo decerpitur, ſic Chriſtus naſcitur à matre omnis doloris experte. Cyprianus, Non habuit difficiles nixus & parturigines. Maria genitrix & obſtetrix, & deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, porrigit mammillam, totum negotium plenum gaudio. Nihil in hac re petijt vltio, nec præcedens delectatio, aliquam repetijt pœnarum vſuram. Canit etiam eccleſia, Peperit ſine dolore ſaluatorem ſeculorum. Accedit & Ioannes Damaſcenus lib. 4. Eſaias

Cypria ſer. de Chriſti natali.
D. Thom. q. 35. ar. 6 7. etc. par. 3

F cap.

Esaij c. 66 cap. 66. Antequã parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Et quid mirum? Si apis duas colligit è flore substantias, ceram videlicet & mel, flosculo tamen manente illęso, quomodo non poterit Deus sine materno dolore, duas producere naturas? Nónne *Genes.* ex Adami latere producitur Eua, citra omnem lateris dolorem, imò vt ne somnus quidem rũperetur? cur minus secundus Adam, Christus, non ederetur in lucem sine genitricis suæ labore seu molestia?

Et reclinauit eum in præsepio, quia non erat. &c. Videte stigmata paupertatis. Attendite Christigenæ, ad Christi vestri reclinatoria. Primò requieuit in matris gremio. Secũdò in vili præsepio. Tertiò in cruce. Quartò in alieno sepul- *V. Beda de Christi natiuitate. Gregorius Nyssenus Serm. de Christi natiuitate.* chro. V. Beda, Qui panis est angelorũ, in præsepio ponitur, vt nos quasi sancta animalia carnis suæ alimẽto reficiat. Gregor. Nyssenus, Pręsepe sermonis expertium est domiciliũ, in quo sermo nascitur, vt bos agnosceret possessorẽ suũ, & asinus præsepe domini sui. Bos, Iudaicus est populus legi subditus, asinus ferendis oneribus destinatus, Gentes, peccatorũ, simulachrorumque cultui oneratas significat. Proponitur auspicata hora panis in præsepio, vt bruta fiant rationis capacia sumpto pane. Medius autem inter bruta panis ponitur, vt vtrunque satiet, & saluet. A boue auferat legis graue onus, ab asino onus idolatriæ. Philosophatur quoque de eodem Nazianzenus. Vtinam istud pręsepe sępius nostros ob oculos obuersaretur, efficeret nos sanè veros philosophos. Quis obsecro panniculos

niculos, præsepe, stabulum, secum serio considerans, non respondeat infidæ & malesuadæ voluptati, quod fidelem illum Vriam Dauidi respondisse legimus, 2.Reg. 11. Arca Dei, & Israël, ait, & Iuda, habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei sub frigido versantur cælo: & vadā ego in domum meā, vt comedam, bibā, & dormiā cum vxore mea? Arca Dei, diua puerpera, in cuius sinu filius Dei, manna illud cæleste quieuit, manet in stabulo, & rex meus Iesus manet in præsepio, & serui domini mei, & pastores excubias agūt, & sub frigido dio exponuntur, nimbis, ventis alijsque aëris incommodis, & ego delitijs affluam? comedam, bibam, amplectar beluinas has voluptates? Non equidem faciam. 2.Reg.11.

Quia non erat ei locus in diuersorio. Magis magisq; se prodit satræ virginis pauperies. In sua patria nemine habet obuiū, qui ei intra domū, cellulā aliquā, in quā se recipiat, asignare velit. Imò nō tantū habet pecuniolę, vt cubiculū aliquod, pretio dato, sibi paret. Experta est illud:

Ipse licet venias musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Quid mirum vbique explodi pauperes, quum totius puritatis speculum virgo mater, repulsam patiatur in propria patria? Sed non miretur se excludi, & filio eius hic mundus eandem cecinit cantilenam, dum paranti ingredi ciuitatem, Samaritani obiecerunt ei claustra portarum, quod Apostoli non ferentes celestibus flammis ingratos exuri optabant, Lucæ 9. Id quoq; lachrymis prosecutus est, quum dice- Lucæ 9.

 ret. Lu-

Luc.19. ret. Lucæ 19. O Hierusalem si cognouisses & tu,& quidem in hac die tua,quę ad pacem tibi. Quid vetat etiam ad Bethleem nos apostrophare? O Bethleem si cognouisses & tu,& quidem in hac die quæ ad pacem tibi,quando tibi ab angelis pax canitur,quãdo tibi pax nascitur. Veh tibi Betlehem. Quid facies, quid respondebis puero isti in illa die,quæ tibi certè omnium funestissima illucesset, quãdo vt leo puer hic rugiet, & vt vir iudex iudicaturus est orbem, dum ante eiusdem constiteris regale tribunal,quem iam exsibilare non vereris? Tu infelix Betlehẽ adulteris, fœneratoribus,helluonibus, nocturno suo vlulatu totam replẽtibus vrbem, ostia,cubicula, & tuæ domus penetralia latè aperuisti,ita fuit tibi dulcis lucelli odor, ex re qualibet: & regi tuo,cui omnes tuas fortunas communes facere debuisses,imò cui omnia concredẽda sunt,hospitium negas, omniaque sunt ei clausa, & virgini deiparæ nullus est locus,in quo gaudium angelorum, lilium conualliũ,Iesum tibi pariat. O ferreos Bethleemitarum animos,quos non vlla religio, nulla numinis reuerentia, non tenella materculæ nostræ ætas,non pudor, non frigidæ noctis asperitas, potuit emollire. Sic quondam ciues So-
Iudic.ca.8. chot repellebant Gedeonem, pro summis beneficijs, maleficia reddentes, Iudicum cap.8. Quum olim post magnam annonæ caritatem, aduenirent Samariam nuncij aliquot tritici &
4.Reg.7. vini, ita erumpunt Samaritæ, vt princeps qui portis præerat,turbis se mutuo stipantibus,cõprimeretur: & nõ irruunt Bethleemitæ ad excipien-

cipiendam eam obuijs(vt aiunt)vlnis,quæ panem angelorum, quo aluntur omnes, adferebat? Præuiderat id Hieremias cap. 14. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Hieronymus,& Theodoretus de Christo interpretantur. Is enim instar peregrini, huius vitæ fabulam incepit, & perfecit. Augustinus, Non inuenit locum in diuersorio, per quem creatus est omnis locus: & veluti peregrinus nascitur, qui totius orbis est dominus, vt nos cælestis patriæ faciat esse municipes. Ioannes 1.ca. In propria venit,& sui eum non receperunt.

August.

Ioan.1.

Et pastores erant in eadem regione, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Cyprianus,Extrinsecus nuda, & egena omnia quæ videbantur,nil in illa paupertate diuinum apparet, nisi ijs quibus reuelatum est desuper. Quorum primi fuerunt pastores, quorum simplicitas & innocentia electa est, vt laus Christi perficeretur, vt piscatores & pastores sequentibus temporibus confunderent oratores: & à pauperibus & humilibus prædicatio paupertatis haberet initium. Non iuit angelus Hierosolymam,sed neglectis superciliosis istis Pharisęis & Scribis, qui alto somno depresßi in eburneis stratis lasciuiebant,pastores alloquitur. Sed nec quoslibet, sed vigilantes super gregem. Vigilãtes quærũt angeli. Futurum est,vt princeps pastorum aliquando dicat istis somniculosis, qui opimis suis sacerdotijs onusti nil nisi cuticulam curare sciunt, illud Hieremiæ 13. Vbi est grex qui datus est tibi,pecus inclitum tuum?Ad exemplum

Cypria.ser. de Christi natiuitate.

D.Thomas par.3.q.36 artic.3.

Ierem.13.

emplum itaque pastorum vigilet Christianus, hic super familiam, hic super animulam sibi cōcreditam, ne tartareus ille Cerberus ad suam eos trahat lanienam. Sequitur in contextu:

Angelus Domini astitit iuxta eos. Et claritas Dei,&c. V. Beda notat angelos nusquam cum luce apparuisse, dū adhuc legales durarent vmbræ: sed hoc singulari priuilegio Christi natiuitas (qui vera est lux) exornanda fuit. Nec silent angelicæ hæ cateruæ, sed aiunt:

Nolite timere. Ecce annūcio vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator,&c. Gaudium magnum, quia magni regis nunciatur aduentus. Magnum, inquā, quia magnus natus est saluator. Leo Ser. 5. de Christi natiuitate, Non est fas locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ. Exultet, inquit, sanctus, quia appropinquat ad palmā: gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam: animetur gentilis, quia vocatur ad vitā. Animalia omnia attollunt capita exoriente sole, teste Solyno, cum Plinio, præ gaudio, & non faciet hoc homo exoriente saluatore? Ambrosius, Lætitia quanta est, quantusque concursus, quando imperatoris mundi celebrandus est natalis. Duces, principes sericis induūtur, & operosis cingulis interlucente auro: si ita illi, quanto nos gaudio exilire decet. Prudentius Hymno de puero Iesu:

Leo sermone de natiuitate.

Ambrosius serm. 14.

O quanta rerum gaudia,
Aluus pudica continet,
Ex quo nouellum seculum,
Procedit & lux aurea.

Sybilla Cumana vaticiniū quod Verg. aliò detorsit,

torsit,

torſit,ad Chriſtũ retulit. Vide Lactãt.de Sybil- *Adamus*
lis. Adamus Ser. 1.de Chriſti natiuit. hoc gau- *Sasbolt.*
diũ propheticis verbis cõcelebrat.Lætabũtur, *Eſaiæ 9.*
ait Eſaias, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Iugum enim oneris eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti,ſicut in die Madian. Apoſtrophe eſt ad Emanuelem. Gaudebat etiã Abraham, quãdo diem Chriſti vidit multis annorum ſpacijs adhuc diſtantem „quanto magis nobis iam gaudendum, quibus datum eſt eundem cernere non naſcendum,ſed iam natum, in noſtrum omnium ſalutem?

Et ſubito facta eſt cũ angelo multitudo cæleſtis exercitus laudantium Deum,& dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vt autem legatio hodierna omnium longè iucundiſsima à nemine reijciatur tanquã incertior, nullumque non rapiat in ſui admirationem,mittitur angelus:nec vnus tantum, ſed angelorum multitudo. Cõſueuerat olim Deus *Chryſ.Ho-*
cæleſtes ſpiritus deſtinare ad ſumendã de mor- *milia 3. in*
taliũ peccatis rigidam vltionem: ſicut duo eo- *Coloſſ.*
rum euerterunt Sodomam: & alius percuſsit *Geneſ. 18.*
primogenita Ægypti: alter verò vna nocte in *Exodi 12.*
caſtris Aſſyriorum, deleuit centum octoginta *4.Reg.19.*
quinque milia virorum. Sed plura percenſere exẽpla,concionis anguſtia non pateretur. Iam eò mittuntur,vt ſerenam blandamque pacem, terrigenis nuntient,angelique prioris verba ſua laude & cantu confirment. Habuerunt profectò ætherei ij ſpiritus,locum Deum collaudandi in cælis,etiam ſi id non agant in terris, atta-

men conueniebat eos etiam ad terram deuolare, quum eorum rex nasceretur in terra. Maximè quum hac miranda natiuitate non tantum genus humanum in libertatem assertum sit, sed etiam sanctorum spirituum instaurata ruina. Quia igitur vtrique creaturæ, communis natus est saluator, meritò vtrimque gaudia cumulata celebrantur. Non mirum sanctos congaudere angelos, quando nostra redemptio, illorum est reparatio. Omnis enim in terra creatura indignior erat, quàm vt per eam ruina angelorum posѕit reparari. Et in hoc summus rerum opifex Deus hominem creauerat, vt posѕideret quod amiserat diabolus. Et licet nequisѕimus ille veterator, non ferens tantam hominis fœlicitatem, nil non egerit, vt hoc Dei propositum impediret, vicit tamen bonitas malitiam: imò vt videret Dei propositum inuiolabiliter permãsurum, nostræ carnis trabeam induit, diaboloque se opposuit, non desistens donec victoriæ trophæa de ipso statuisset. Optassent quidem angeli id negotij expedire, sed quum viderent suas vires sarcinæ huic longè impares esse, gaudent iam cælitus eum descendisse, fusumque in partum, qui id dextro Marte perficere queat.

Origin. homil 13. in Lucam. Originem ijs adiecisse sufficiat. Vide mihi vrbem (inquit) in qua ægrotent plurimi, & frequens medicorum adhibeatur manus: sint diuersa vulnera, quotidie in emortuam carnem serpens putredo penetret: & tamen medici qui adhibiti sunt ad curandum, nequeant alia vltro inuenire medicamenta: & artis suæ scientia, mali magnitudinẽ euincere: veniat autem aliquis

quis Archiater,qui ſummam habeat in arte noticiam: & illi qui prius ſanare nequiuerant, cernentes magiſtri manu putredines ceſſare vulnerum, non inuideant vel infirmo ſanitatem, vel magiſtro honorem, nec liuore crucientur: ſed in laudes erumpant Archiatri, & prædicēt Deum,qui & ſibi, & ægrotantibus, tantæ ſciētiæ miſerit hominem. In hanc ergo ſimilitudinem & multitudo cæleſtis exercitus audita eſt, dicens:Gloria in excelſis Deo,& ſuper terram pax hominibus bonæ voluntatis. Poſtquam enim Dominus venit ad terram,pacem fecit per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue eorum quæ in terra erant,ſiue quæ in cælis.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1

Auguſtinus ſermo. 7.de natiuitate Chriſti. Tres valde mirabiles naſcēdi ſpecies, operatam reperies trinitatem. Prima eſt,quòd Adā figuratus eſt ex limo.Secūda quòd mulier formata de maſculo. Tertia quòd Chriſtus natus eſt,& proceſsit ex virgine. Omnium autem mirabilium mirabiliſsimū ex virgine naſci. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 12.Decebat ſanè puriſsimum, puritatis doctorem, ex puris prodire thalamis. Si enim,qui apud Ieſum bene fungitur ſacerdotio, abſtinet à muliere, ipſe Ieſus quomodo ex muliere proditurus eſt? Conſulat Eccleſiaſtes,D.Thomam Aquinatem par.3.q.1. articul.2.&c.

2.

Hæc deſcriptio primo facta eſt,&c. Non quòd omnium deſcriptionum fuerit prima: ſed prima dicitur, quòd etſi aliquot particulares prius præceſſerant,nunquam tamen tam generalis fuerit ab orbe

 condi-

condito. Theophilactus cõmemorat quòd & Christus ad censum fuerit adactus, vt sanctificaret eos qui censerentur, aboleretq́; seruitutem: sicut & circũcisus circuncisionẽ aboleuit, ita descriptus vt seruus, nostræ naturæ aboleret seruitutẽ. Memorabile est quod refert Hugo pratofloridus, Romæ in hac descriptione inuenta mille milia, & octingenta millia hominũ pugnatorum. Fides sit penes auctorem. Quanquam verò ex Chronicis quibusdam se id habere testetur, quibus tamen nescio.

3.

Scriptor quidam non proletariæ doctrinæ vocẽ ἀγραυλοῦντες, ait, propriè sonare rusticantes, quod & sentit Theophylactus, id est ruri agentes, siue in agro stabulantes. Solent enim oues, vbi illarũ magna est copia, qualem referunt esse in Anglia, Gallia, alijsq́; locis, noctu intra septa asseruari, accubãtibus iuxta pastoribus. Nam hinc, inquit, educta est dictio ἀγρὸς, ager & αὐλὴ stabulum.

4.

Angelus Domini stetit iuxta eos. Græce est ἐπέστη αὐτοῖς, hoc est supereminebat illis. Vt intelligatur angelus non stetisse iuxta eos in terra, sed de sublimi eorum capitibus inhæsisse.

5.

Gloria in excelsis Deo, &c. In hoc angelorũ eulogium, varij varios adferunt commentarios. Ego tamen tutius puto communem hic amplecti sententiam, quàm nescio quibus nouitatibus nimium præbere aurem. Nostro more legunt, Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Pontianus Papa huius nominis primus, & alij complures. Porrò quòd quidam censet locum hunc in tres secandum particulas, reddendaq́; singula singulis, nempe gloriam vni Deo in altissimis: terræ pacem: hominibus bonam voluntatem, non admodum probatur à quibusdam: tum quòd copula, &, non nisi binas postulet particulas, tum quòd apud vetustiores solidioresq́; scriptores

Vide Aug. in Psa 125 versu, Qui seminãt in lachrymis.

ptores idipsum non reperiatur. Verùm quàm sit friuolum ijs se torquere, alij viderint.

DOMINICA INFRA OCTAVAS CHRISTI NATI.

Luc. cap. 2.

ERant pater Iesu & mater mirantes super his quæ dicebãtur de illo, et benedixit illis Simeon. Omniũ mirabiliũ mirabilissimũ, est puer Iesus. Vnde non temerè Esaias, dum nomina pleraq; *Esaiæ ca. 9*
huius Messię enumerat, vocat eum Pele, id est, *mirabilis.* Is enim talis est, vt eum omnes creaturæ merito admirentur, seu humanam, seu diuinam eius naturam contemplentur. Mirandũ quòd cedrus alta Libani comparatur Hyssopo valle nostra, canit ecclesia. Cælo itaque, pastoribus, angelis, atque Magis Persicis admirantibus, meritò mirantur & parentes. Verbum iacet mutum, Deus æternus fit homo, virgo est mater, claritas nascitur in nocte, sapientia in infantulo, potentia in paruulo, & quis non obstupescat? Mira & nullis ante aut visa, aut audita seculis, dicebantur de Iesu. Porrò Simeon arcani spiritus afflatu, varias de puero laudes promebat, eum salutem gentiũ, & lucem, gloriamque plebis Israeliticæ appellans. Parentes igitur veneranda canicie senem audientes, ac cum illius dictis, ea quæ præcesserant conferentes, taciti secum admirabantur, quid sibi vellet senis oratio. Neq; enim loquente Simeone iam primum admirari cœperunt, sed iam dudum cœpta admiratio magis etiam iam aucta est.

Et benedixit illis Simeon. Quidam intelligunt

hu c

hunc ſenem fuiſſe ſacerdotem, Euangeliſtamq́; hîc loqui de benedictione ſacerdotali, de qua Numeri 6. Verum res hæc non ita eſt illuſtris aut manifeſta, cùm ſimpliciter accipi poſsit ſenem illis benedixiſſe, ſiue quia fœlicia illis ſit precatus, ſiue quia fœlices eos ac propemodũ beatos prædicauerit, qui tanti taliſq́ue pueri parentes eſſent. Solenne enim eſt candidis & pijs hominibus, gratulari matribus, vbi ſcitum & elegantem præcipuè inter vbera aut brachia conſpexerint infantulum, ac virtutem illi auitam, paternamq́ue induſtriam, atque indolem apprecari & optare. Imò in argumentum candoris & beneuolentiæ, infantulum eum ſuauiter amplectimur, ac oſcula figimus. Benedixit igitur hoc modo parentibus pueri. Neque errauerit quiſpiam, qui & puero eum benedixiſſe exiſtimauerit, hoc eſt, optaſſe illi fœlicem ſucceſſum negotij, ad quod miſſus ac deſtinatus etiam à patre fuerat, quoniam benedictio huiuſmodi non arguit excellentiam maiorem benedicẽtis, ſed votũ animi tantum. Certè Eraſmus opinatur & puero benedictũ, à Simeone. Rogare ſolẽt piè curioſi, quiſnam hic fuerit Simeon. Res in obſcuro latet. Illud verò in aperto eſt, fuiſſe virum magni pretij, ac vitæ integritate, morumq́ue grauitate cumprimis conſpicuum, alioquin non illum afflaſſet ſpiritus ſanctus. Petrus Galatinus audet dicere fuiſſe magiſtrũ Gamalielis, eius videlicet, ad cuius pedes ſedit D. Paulus Apoſtolus. Cæterum vbi benedictionem ſuam venerandus ſenex eſſet impartitus,

Petrus Galatinus.

Dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic

hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel. Acsi dicat: filius hic tuus, quanquam in hoc sit huc demissus à patre, vt miseris solatio sit et auxilio, vt deploratis opẽ, & toti orbi cõferat salutem, hominum tamen fiet ineptia & vitio, ne prosit omnibus, ijs nempe qui ad tam promptam & expositam lucem ne respicere quidem velint. Lux enim veniet in mũdum, & diligent homines magis tenebras quàm lucem. Imò veritate per hanc lucem è tenebris veluti eruta, corruent omnino qui sibi stare videbantur: exurgent contra qui antea videbantur iacere, oblatamque salutem serio amplectentur. Sunt qui putant hoc loco ruinam intelligi regni Israëlitici euersionem. Hierosolymorumque per Flauios Vespasianum & Titum excidium, aut certè per Pompeium aut Hadrianum imperatores, quos rerum opifex Deus in vindictã filij sui indignissimè interempti, ex Italia exciuit. Quod quanquam non eam inficias, cũ & Pharaones, Nabugodonosoresque, aliquoties ex penitissimis regnorum suorum sedibus ad sumendam vltionem de populo multis nominibus sibi obnoxio, cum ingẽtibus copijs euocauerit: & sępenumerò etiam legimus in sacris literis: adducet Dominus regem Babylonis aut regem Ægypti: sic tamen nõ posse intelligi certissimũ est. Obstat enim huic expositioni hoc quod in textu sequitur, In resurrectionem multorum, quæ planè spiritualiter intelligenda est. Per Christum enim, quidam spiritualiter resurrecturi erant à peccatis suis. Sic & ruina debet intelligi spiritualiter, scilicet cæcitas, aut æterna re-

Ioan. cap. 3

na reprobatio in malignis. Multum lucis adfert Eusebij Emisseni commentarius, qui ita habet: Dominus Iesus in hunc mundũ descendẽs, quibusdam fuit causa resurrectionis, quibusdã occasio ruinæ. Hoc est enim quod de seipso Dominus ait: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Hactenus ille. Neque mireris bone Lector, quòd Dominus Iesus his sit causa salutis, illis occasio perditionis. Nónne idem sollutum obdurat, & cæram emollit & flectit? Sol, inquam, nónne & citra delectum, & ægris & sanis oculis suos radios affundit? & tamen hos recreat & exhilarat, illos verò turbat, & malè afficit. Christus ergo in iudicium venit in mundum, sed in quod iudicium? August. in Ioannem ait: quòd in iudicium discretionis, videlicet vt qui se profitentur ingenuè non videre, iam videre incipiant, dum medicum quærunt: qui verò se putant videre, & medicum respuunt, in cæcitate maneant. Elegans sanè hæc Augustini sentẽtia, quam amplectitur Eucherius. Concinit his D. Ambrosius, & sequuntur neoterici Iansenius, V Vycelius, & Erasmus: Accedit his omnibus Irenæus lib. 5. Venit, inquit, Christus in ruinam non credentium, quibus maiorem ruinam quàm Sodomorum & Gomorrhæorum comminatur. Venit in resurrectionem credentium, & facientium voluntatem patris eius qui in cælis est. Itaque in ruinam fuit natus puer Iesus Scribis & Pharisæis, in resurrectionem verò humilium peccatorum scelera sua agnoscentium, veniamque poscentium. Videamus

Ioan. cap 9

Aug. in Ioannem ca. 9

Eucherius.

Ambrosius

Irenæus lib. 5.

deamus nunc quid sentiat Origenes. Is igitur alio exponit modo: nempe ad mysticum se conuertens sensum, videlicet quòd peccatores cadunt à peccatis suis, secundum veterem hominem morientes, & deinde resurgunt ad virtutum opera, induentes nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Hanc interpretationem recenset Theophylactus: Cadit, inquit, fornicatio, surgit cõtinentia. Origenem sequitur sanctissimus episcopus Paulinus Nolanus: Vtinam compleatur in me verbum euangelici Simeonis, vt fiat mihi Christus in ruinam & resurrectionem: ruina sit exteriori meo, resurrectio verò interiori homini. Verùm hæc explicatio Origenis & Paulini meo iudicio coactior est, quàm vt illam sequi velim: magis verò arridet prior, quam etiam arbitror esse genuinam. Est & tertia interpretatio apud Theophylactum, quæ cùm mihi videatur quàm maximè torta, nolo eam attingere. Videtur verò noster Simeon alludere voluisse ad illa verba Esaiæ: Erit vobis Dominus in sanctificationem, duabus verò domibus Israël in lapidem offensionis, & petram scandali, in laqueum & ruinam habitantibus Hierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent & conterentur, & irretientur & capientur. Hunc locum imitatur D. Paulus ad Romanos cap. 9. & Apostolorum princeps Petrus cap. 2. epistola 1. Quæ loca omnia pertinent ad regnum Christi.

1. Cor. 15. *Paulinus Epistola 8.* *Theoph.* *Esaie 8.* *Rom. 9.* *1. Petri 2.*

Et in signum cui contradicetur. Proponetur Christus omnibus veluti signum, quale nunquam

quam propositum fuit ab origine mundi. Obstrepent enim illi signo Pharisæi, Scribæ, atque adeò ipsi pontifices. Reclamabunt hæretici, & increduli, tantusque concitabitur vndique tumultus, vt horrori sit commemorare. Tertullianus lib. de carne Christi, vocat Christum signum contradicibile. Agnoscimus, ait, signum contradicibile conceptum & partum virginis. Iesum verò Christum positum esse in signum, facilè discimus ex Esaia: Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum in Israël. Quin & Paulus ad Hebræos cap. 2. hunc locum citat. Non solùm Dominus Iesus, sed & prophetæ atque Apostoli famuli illius, seu pueri, carnalibus hominibus fuerunt in signum & portentum. Id indicat D. Paulus 1. Corint. 4. Facti sumus spectaculum mundo, angelis, & hominibus. Esaias, Hieremias, Helias, Elizæus erant spectaculum carnali Israëli, alijs eos fatuos, & bardos, alijs caudices, & fungos appellantibus, alijs aliud exprobrantibus, & improperantibus. In signũ igitur & isti erant quibus contradiceretur à Iudæis. Talibus sannis, lœdorijs ac conuicijs excipiuntur hodie sacerdotes, & monachi, dum dicacissima pars vulgi nũc rasos, nunc ministros Baal, modò cucullatos, modò papas & breuiter quicquid dira garriendi libido, & scrabrosa siue scabiosa hæresis illis in buccas mittit, appellat. Miror idcirco mecum subinde, cur tantopere mirentur plerique ciuitatum nostrarum excidia, agrorum depopulationes, miserorum concussiones, cùm huiusmodi calamitatem ac vastitatem

Tertull. lib. de carne Christi.

Esa. 8.

Hebr. 2.

1. Corin. 4

ſtitatem populi noſtri ſcelera iam pridem abunde cõmeruerint, cùm monachi noſtri ac ſacerdotes etiam mulierculis atque adeò pueris ipſis fuerint iam diu in ſignum, imò in ſibilum & improperium. Sic olim in Africa Saluiano Epiſcopo Maſsilienſi teſte, in Dei ſeruos ſacerdotes & monachos, debacchati ſunt homines. Vnde quoque Nemeſi diuinæ, iuſtas pœnas dederunt. Sed eloquentiſsimum illum præſulem audiamus. Sacrilegij (inquit) genus eſt Dei odiſſe cultores. Sicut enim, ſi ſeruos noſtros quiſquam cædat, nos ipſos in ſeruorum noſtrorum cædit iniuria: &, ſi à quoquá filius verberetur, in filij ſupplicio pietas paterna torquetur: ita & cùm ſeruus Dei à quoquam læditur, maieſtas diuina violatur, dicẽte ad Apoſtolos Domino: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Benigniſsimus Dominus communem ſibi cum ſeruis ſuis & honorem ſimul & contumeliam facit, ne quis cùm læderet Dei ſeruum, hominem tantum à ſe lædi arbitraretur. Qui vos tãgit, inquit Zacharias propheta, quaſi qui tangit pupillam oculi mei. Ad exprimendam teneritudinem pietatis ſuæ, tenerrimam corporis humani partem nominauit, vt apertiſsimè intelligeremus, eum tam parua ſanctorum ſuorum contumelia lædi, quàm parui verberis tactu, humani viſus acies lęderetur. Inſectabantur igitur Afri ſeruos Dei, & in his Deum. Sed quæritur, quibus modis probetur odium illorum. Scilicet, quibus Iudęorum odia comprobantur in Chriſtum, cùm dicerent: Samaritanus es & dæmonium habes, cùm irridebant,

Saluianus li. 8. ad Salonium.

Matth. 10.

Zachar. 2.

Ioan. 8.

bant,cùm maledicebant.Ita igitur & in monachis,id eſt in ſanctis Dei,Afrorũ probatur odiũ, quia irridebant,maledicebant, inſectabãtur & deteſtabãtur.Imò Africæ ciuitates vix palliatũ & pallidũ,& maximè intra Carthaginis muros & reciſis comarũ fluentiũ iubis ad cutẽ tõſum, videre poterãt ſine cõuicio, atq; execratione. Et ſi quãdo aliquis Dei ſeruus aut de Ægyptiorũ cœnobijs, aut de ſacris Hieroſolymorũ locis,aut de ſanctis eremi venerãdiſq; ſecretis,ad vrbẽ illã officio diuini operis acceſsit: ſimul vt in populo apparuit,contumelias,ſacrilegia,& maledictiones excepit.Nec ſolùm hoc,ſed improbiſsimis flagitioſorũ hominũ cachinnis, & deteſtãtibus ridentiũ ſibilis quaſi taureis cædebatur: vt ſi quis inſcius rerũ,fieri vidiſſet,nõ aliquem hominẽ ludificari, ſed nouũ inauditumq; monſtrum abigi atque exterminari arbitraretur. Hoc perſecutionem quidam fuiſſe non putant,quia & occiſi non ſunt. Latrones hoc quidem prouerbio vti ſolent, vt quibus non auferant vitam,dediſſe ſe dicant. Et miramur ſi nũc barbaros Afri perferunt, cùm videamus quod ſancti viri in illis barbaros pertulerunt. Iuſtus eſt Dominus, & iuſtum iudicium eius. Quæ
Galat. 6. enim ſeminãrũt,hęc & metũt. Vt verè de illius gentis improbitate videatur dixiſſe Dominus:
Eſaiæ 5c. Reddite ei ſecundum opus ſuum, iuxta omnia quæ fecit,facite ei,quia contra Dominum erecta eſt. Hactenus Saluianus, cuius vita incidit in annum 484.claruitque ſub Zenone imperatore. Opinor verò illum agere de perſecutione Vandalica. Vandali enim tanquam atra ac vehemens

hemens tempestas, relicta Hispania in Africam tanto furore, & immanitate incubuerunt, vt omnia sacra prophanauerint, & sacrorum præsides episcopos, inauditis tormentis excarnificauerint. Quod qui legere cupit fusius, inspiciat de persecutione Vandalica, Victor. Vticésem, Saluiano synchronũ. Si quis auté vel mihi, vel istis deroget fidé, hunc lubenter ad D. Aureliũ August. remisero, eadé ætate scribentem, eiusdemq; tempestatis procella plus satis attactũ. Is igitur in Psal. 132. ita monachorũ persecutioné prodidit. Ex voce, inquit, huius Psal. appellati sunt monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet catholicis. Dicere consueuerũt, Quid sibi vult nomen monachorũ? Veruntamé charissimi, sunt & qui monachi falsi sunt. Et nos nouimus tales, sed nõ perijt fraternitas pia propter eos qui profitẽtur quod nõ sunt. Tam sunt enim monachi falsi, quã clerici falsi, quàm fideles falsi. Deinde paulò inferius ostẽdit, monachi nomé ex fonte Græco ab vno dici. Et addit: Meritò insultant nomini vnitatis, qui se ab vno separârũt. Meritò illis displicet nomé monachorũ, quia nolũt habitare cum fratribus in vnum. Hactenus D. August. Nunc ad te beneuole lector & auditor, siue sacerdos, siue monachus, siue prophanus sis. Si monachus aut sacerdos, noli grauatim ferre quod cũ puero Iesu, cum Elizæo & Prophetis, imò & cum ipsis apostolis erigaris in signũ, cui à multis cõtradicitur. Nõ est seruus maior dominó suo. Si verò prophanus es, noli mirari iram Domini tot sacrilegijs, tantó sacrorum contemptu, tanta al- *Ioan.13.*

tarium, templorumque euersione, tantis monachorum sacerdotumque exilijs, imò & mortibus, ijsque multo atrocissimis & indignissimis conflatam, in nostra castiganda scelera ruere. Quondam Apostolis, inquit Saluianus, paganas vrbes licuit intrare. D. Paulũ Atheniensium populus patiẽter audiuit, Lycaonij etiam

Act. 17. tantum sunt admirati, vt cùm Apostolis inesse virtutes cernerent diuinas, esse homines non putauerint: & intra Carthaginem apparere in plateis Dei seruos, sine contumelia & execratione vix licuit. Porrò hac de re plus satis, ne amicis fastidium, ac nauseam conciliem.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes. Tam feruebit in filium tuum ô Maria, Iudæorum coorta seditio, tam conspiratis insanient vndique animis, vt nec tu quidem ab ingruentium malorum incursu, futura pœnitus sis immunis. Neq; enim eos solũ percellet persecutorũ crudelitas, qui tuo filio hactenus hæserunt ac crediderunt: verùm ne tu quidẽ extra teli iactũ, aut gladij ictũ fueris. Vsq; adeò vt tuã ipsius animã, doloris sit gladius penetraturus. Quã-

Lucæ 2. uis sæpenumero acutissimus hic gladius Mariæ præcordia pupugerit, siue cùm clam matre in templo remansit, siue cùm illum profuga &

Matth. 2. egregia exul tulit in Aegyptum, nunquam tamen acerbiorem aut profundiorem dedit pla-

Beda. gam, quã sub cruce. Vbi teste Beda, virgo Deipara eos sensit dolores, quos in ipso partu euasit. Elegans est metaphora pertranseuntis gladij, cuius nobis vsus est, vbi grandem & vix tolera-

lerabilem ſignificare dolorem volumus. Non ſolum enim Belgæ, ſed & ſuperi illi Germani hac vtuntur metaphora. Aiunt enim: Mich dunckt / es gienge mir ein meſſer durchs hertz/ &c. Id eſt, viſus eſt mihi gladius penetrare pectus. Imò ſi & ſacra biblia inſpiciamus, etiam & metaphoram hanc Hebraiſmum ſapere reperiemus. Ita enim legimus Pſalmo 104. de Ioſeph patriarcha: Ferrum pertranſijt animam eius, venit rex & ſoluit eum. Certè vehementiſsimus erat dolor caſtiſsimo iuueni, quòd ab adultera ob continentiam & pudicitiam perſanctè cultam, atque ſeruatam, iam continenti quadriennio in carcere indignè diſcruciaretur. Porrò eo Pſalmo per ferrum vehementem intelligi tribulationem, auctor eſt Auguſt. epiſt. 59. Verumenimvero cùm eam partē, *in ſignum cui contradicetur*, Vnde hęc verba pendent, diligenter attendimus, fortaſsis cōgruè magis per gladiū hic intelligemus gladiū contradictionis linguarū, de quo gladio ſæpè in ſcripturis, quale eſt illud, & gladius in labijs eorum, Pſal. 58. Et rurſum: Lingua eorū gladius acutus, Pſal. 56.

Pſal. 104.
Pſal. 58.
Pſal. 56.

Vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes. Chriſto in cruce multis plagis, & vulneribus affecto, & matre Maria ſupra modum afflicta & mœſta, eruperūt in apertum arcana cordium, & animorum. Nam tum veluti in aperto lumine vidimus Petrum negantem primo, deinde amare flentem: vidimus Iudam manus ſibi adferentem. Ioſephum & Nicodemum circa ſepulturā piè affectos, Phariſęos ſepulchrum ſtudiosè & accuratè muniētes: vidimus & mu-

lierculas empto aromate quo Christum linirent officiosas. Et quemadmodum candela cubiculo illata, quæ prius circumcessis tenebris delitescebant, clarè perspiciuntur, ita fulgido sole Christo Iesu, veluti in crucis nubem subuecto & exaltato, facilè retegebantur, quæ ante difficilè cognosci poterant. Amici enim illius re ipsa constantissimi amoris specimen dederunt, dum nec latum quidem vnguem ab eo diuellerentur. Inimici verò & Pharisæi, qui vel viri boni esse videbantur, vel negotio quod Christus habebat in manibus, nonnihil fauere, declarabant vel inuidiam suam erga illum, vel hypocrisim. Plerique enim amici, ac beneuoli nobis esse videntur, dũ in mutua amicitia commodum sibi faciunt, sed qui versa sorte ac detractis laruis, hostes sunt capitales. Elegantissi-

Lib. de amicitia cap. 5. ma D. Augustini est sententia, nisi titulus libri eius mentiatur auctorem. Non est, inquit, nostris vulneribus efficacior medicina, quàm is qui omni nostro incommodo occurrit compatiens, & omni commodo congratulans. Ami-

Ecclesiast. cap. 6. cus enim fidelis, ait Ecclesiasticus, medicamẽtum vitæ. Enimuerò inter tot tamque acerba vulnera nonnihil medicaminis & leniminis attulit crucifixo fida matris, & Ioannis Euangelistæ iuxta crucem præsentia.

Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua, Et hæc vidua erat vsque ad annos 84. Posteaquam sexus virilis speciosè de nouo Mesia prædicasset, decuit & imbellem sexum scilicet fœmineum, suo quoque

quoq; calculo ac suffragio probare ac celebrare eundem, vt in ore duorum, testimonium firmius de Iesu cõsisteret. De puero recés à casta matre in lucem edito splendidè prædicant magi, loquuntur se mutuo ad eum visendum cohortantes pastores, exultant, symphoniamque miscent cœlo delapsi angeli, testatur apophtegmata sacra, sacro ore depromens Simeon, denunciat nouo iubare fulgens astrum: & quiescet, ingrataque silétia secum rodet mulier? Imò prodeat & illa nobis in medium, & conscias laudes iungat. Huius viduæ testimonium, ne cui leue, vtpote à fœmina profectum videatur, Euangelista primò prophetissam fuisse cõmemorat, hoc est spiritu diuino afflatam. Quod verò ad cæteras animi dotes attinet, nescio quid mirer in ea primum. Illibatæ ne virginitatis candorem, an fidem erga maritum inconcussam, an verò post mariti obitum pertinax & noctu & interdiu cotinuatum precandi studiũ? Nec ieiunij eius, quo Deũ vnicè colebat, diligẽtiam silentio prætermittere possum. Habent in hac quod amplectantur nuptæ, quod imitétur innuptæ, quod suspiciant & admirentur viduæ. D. Hieronymus ad Furiam scribés, ait Annam secũdum ætymon sui nominis, significare gratiam. Ex re itaque (quæ spiritu prophetico erat prędita) nomen sortita est. Hanc Cyprianus ab assiduo precandi studio mirificè commendat, quod & Hieronymus facit epistola ad Saluinã. Vbi ait, eam precibus & ieiunio, conseruasse pudicitiæ suæ thesaurũ. Quòd si nostræ viduæ his armis, precibus videlicet & ieiunio succin-

Hieronymus ad Furiam.

Cyprianus tractatu in orationem dominicã

Hieron. ad Saluinam.

ctæ, contra Diaboli siue Asmodæi machinationes & tegnas depugnarent, vel non respicerent ad secundas nuptias, Christo marito contentæ: vel effrenes animi motus, carnisque illecebras, fortius compescerent. Septem verò huius mulieris anni dati sunt marito & soboli, sed quod reliquum erat vitæ, pietati consecratum est. Annis enim 84. vidua esse perseuerauit. Et quamuis esset ætate adhuc vigenti, ne cogitare quidem de repetendo matrimonio voluit: sed veluti mundo, carniq́ue mortua, templo se dedicauit victimam, dum corpus ieiunio, animũ obsecrationibus offerret. Viduam huic tam similem, vt ouo ouum esse posset, habuit vetus

2. Mach. 7 Testamentum, de qua, 2. Mach. cap. 7. Hanc

Iosephus libello de imperio rationis. Iosephus libello de rationis imperio, tribus coronis asserit esse insignem. Nam virgo nupsit, ecce corona virginitatis, cum marito castè ętatem duxit, ecce corona cõiugij: mortuo marito, vidua perseuerauit, ecce corona viduitatis. His tribus coronis & nostra euangelica Anna exornari meruit pura & casta virgo, castè coniunx, denique casta, & ab illicitis inconcessisq́ue amoribus sibi temperans vidua.

Quæ non discedebat de templo, ieiunijs & orationibus vacans.

Exod. 38. 1. Reg. 2. Exod. 38. legimus, & 1. Reg. 2. de mulieribus quibusdam Hebræis, similis pietatis. Vbi dicitur de mulieribus quæ excubabant ad ostium tabernaculi, vel vt alij vertere maluerunt, quæ se congregabant ad precandum iuxta ostium tabernaculi. Isidorus clarius ait, quòd mulieres illæ seculi vanitatem iam abiecerant, & soli Deo placere studebant: quæ etiã specu-

ſpecula ſua, inſtrumenta vanitatis ſuæ priſtinæ, Domino offerebant. Quin & ſingulis diebus ſtato tempore veniebant adoratureę. Talis omnino videtur mihi hæc Anna fuiſſe. Nunc mihi conſidera ſtudioſè auditor, quo moueantur ſpiritu, qui ieiuniorum eccleſiaſticorum obſeruantiam, exſibilatam & prorſus exploſam eſſe cupiunt. Si hæc anus carne iam emortua & inepta, vt inde adhuc ebullirent motus impuri, ita continuis ſeſe affligit ieiunijs: quid non meritò facturi ſunt, qui iuuenili ſanguine ardẽt, & corpus adhuc habent ſucci plenum? Quod ſi nunc à ſuperis ad nos redeat hæc matrona. Bone Ieſu quantum obſtupeſceret viduarum noſtrarũ nequitiam, & intempeſtiuos iocos, dum ſaltationibus & cantilenis parum caſtis, vt cætera taceam, totas tranſigunt noctes? At D. Paulus eas potius ad Annæ exemplum prouocare videtur, vt videlicet inſtent orationibus & obſecrationibus die ac nocte. D. verò Ambroſius libr. de viduis talem deſiderat eſſe viduam, vt ſcilicet ſit viuida religione, effœta corpore, cui & diuerſorium ſit in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio. *1.Timot. 5* *Ambroſius lib. de bono viduitatis.*

Et hac ipſa hora ſuperueniens confitebatur Domino, & loquebatur de ipſo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël. Dum igitur ritus purificationis peraguntur in templo, dum ſenex Simeon ſacræ benedictioni dat operã, ac gaudio reſultant omnia, commodum & hæc ſuperuenit vidua, vt & ipſa pueri nati teſtis eſſet, ſuique pectoris affectus cum aliorum gaudijs coniungeret, laudibus efferens diuinam benignita-

 tem

tem,quę respexisset populum suum. Neq; rem obscuram esse volebat, sed in quoscunque incidebat de puero Iesu, plurima admiranda narrabat, præcipuè ijs quibus erat cordi redemptio generis Israëlitici.

Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Diuersum omnino Simeon & Anna gaudium adnunciabant, quàm olim sit adnunciatum. Tum enim nunciabatur Israëli Pharaonem cum copijs omnibus mari demersum, Goliath quoque immanẽ gigantem vita, & armis exutum, Holofernem imbelli fœminæ manu iugulatum, Aman tyrãnum in crucem actum: hic verò aliud gaudium affertur, sed quod nõ de cuiusquam morte, verùm de omnium vita celebratur. Hic rex regũ, & cælorum Dominus ex virginis vtero, generis humani redemptor progreditur.

Puer autẽ crescebat, &c. Eusebius Emissenus: Secundum humanitatem crescebat, quia secũdum humanitatem puer erat. Diuinitas autem crescere non poterat, quia vbique est, & omnia continet. Quotiescunq; igitur audis quod confortatur, vel crescit, omnia ad hominem referantur. Hactenus Euseb. Emissenus.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRAECEDENS EVANGELIVM.

I.

Erant pater & mater mirantes. Pater meritò dicitur Ioseph, non tantum quia ab omnibus eius sit pater æstimatus, sed etiam quia ratione coniugij, legitimus ei pater esset.

In sig-

2.

In signum cui contradicetur. Græcè est ἀντιλεγόμενον, hoc est, cui cõtradicitur. Sic legunt August. & Origenes. Thomas Caietanus putat optimè per præsens dici, quia iam contradictio ab Herode fuit inchoata. Postremò si per præsens intelligas, potest intelligi signum cui contradicitur, hoc est signum contradictioni obnoxium. Vt non malè Tertullianus li. de carne Christi, vocet signũ contradicibile.

3.

In signum. Locus est pulcherrimus apud Esaiã, qui nostro proposito mirificè seruit ca. 11. In die illa erit radix Iesse, quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. In Hebræo est dictio nas, quę illis vexillum significat, quod etiam Latinis signum dicitur. Itaque hoc loco Christus signum dicitur, quod in ligno crucis vt in vexillo sit exaltatus, vt ad eum confluant per orbẽ dispersi filij Dei, militaturi nimirum sub illo & superaturi. Hactenus Iansenius. Hoc sanè militare est, quando ad erectum signum conuolant palantes milites. Ego si exaltatus fuero à terra, ait Christus, omnia trahã ad me ipsum. Sic venatores vbi cõspexerint falconẽ varios in aëre agere giros, & omissa pręda vagis huc illucq́ue ferri volatibus, leuant signum laniatæ columbæ aut alterius auis, atque ita falco redit ad subleuatum signum. Hic operæpretium fuerit notare Constantinum magnum imperatorem abrogata aquila, signo Romanorum primario crucifixũ vexillo pinxisse, idque signum appellauit Lauarum. Meminit huius Prudentius libro 1. contra Symmachum.

Esaie. 11.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat, Lauarum. Clypeorum insignia Christus
Scripserat. Ardebat summis crux addita cristis.

Id quoque sacer historiographus Nicephorus scribit: Iusserat, inquit, Constantinus signum crucis præferri, quod à Romanis ante lauarum dicebatur,

Nicephorus lib. 7. cap 37.

tur,alijs signis militaribus longè præstantius,quod etiam à militibus adorari lege cautum fuit. Idcirco verò Constantinum arbitror celeberrimum imperij Romani vexillum in Christi signũ mutasse, vt frequenti eius spectaculo,in dissuetudinem pristinę superstitionis veniret miles,eumq; solum Deũ esse crederet, quem imperator aduersus hostes præferret. Vbi autẽ milites congressi laborare cœpissent, & cohortes legionesue dimoueri loco,mox admouebatur lauarũ, & per vices à militibus in humeris gestabatur. Victor Giselinus in cõmentarijs in Prudentium,notat imperatores Romanos suas imagines in acie per signiferos iubere præferri, quæ signa,quod quasi labãtia quadrata hastis appẽdebantur, lauara vel labara dixerũt. Constantinus igitur non suam imaginẽ, sed crucis imaginẽ potius præferri voluit. Hinc ego arbitror reges plærosq; crucis signũ in vexillis habere,imò & in clypeis,vt ait Prudentius. Posteriori tempore,etiã pectora & terga,salutari hoc signo muniuntur. Gregor. Nazianzenus oratione prima in Iulianum apostatam,sugillat & notat eum, quòd eo impietatis & audaciæ proruperit,vt inmagnum illud vexillum,quod inter omnia signa principatum gerit,præceps ferretur,atque abrogaret. Quid obsecro aliud est, quàm exercitum nolle virtute & auspicijs crucifixi confligere,ac manus cõserere? Imò dicam potius,quid est hoc aliud quàm θεωμαχεῖν,hoc est, in Deum ipsum pugnare? Sed de crucis signo alias fusius.

Greg. Nazianz. oratione 1. in Iulianum

4.

Hæc vidua erat vsque ad annos 84. Perinde est ac si dicas,vidua erat annis 84. Quanquam alij ætatis hic nomen intelligi malint. Nam si viduitati eius tot tribuas annos, verisimile fuerit iam eam attigisse annos centum & 12. aut 10. Et nescio an anus decrèpita & capulo seu libitinæ proxima, ita alacris venisset in templum.

Qui

5.

Qui expectabant redemptionem Hierusalem. Hierusalē vel datiui vel ablatiui casus est, vt locus videlicet ostēdatur, vbi hæc facta est redemptio. Sed Græcus textus scrupum omnem soluit, sic enim habetur ἐν ἱερουσαλὴμ, in Hierusalem.

6.

Puer Iesus proficiebat sapientia Diuus Thomas Aquin. 3. part. quæst. 7. artic. 12. ait, quòd sapientia & gratia aliquis potest proficere dupliciter. vno modo secundum ipsos habitus sapientiæ & gratiæ augmentatos, & sic Christus non profecit. Altero modo secundum effectus, inquantum, scilicet quis sapientiora opera facit, & sic profecit Christus. Nam secundum ætatem sapientiora opera fecit. *S. Thom. 3. part. quæst. 7. ar. 12. ad vlt.*

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIÆ EVANG.

Lucæ 2.

C*Vm factus esset Iesus annorū 12. ascēdentibus illis Hierosolymam secūdum consuetudinem diei festi, consummatisq; diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.* Cùm accedentibus annis Iesu pueritia esset confirmatior, atque iam ad ephebiam proximè accederet, quippe qui iam annum attingeret duodecimum, visum est parentibus puerum secum ducere Hierosolymam, ad diem scilicet Paschæ, nempe vt teneram eius ætatem sacris imbuerēt cæremonijs. Etenim vt canit ille, à teneris consuescere multum. Diuus Matthęus testatur, Ioseph fuisse virum iustum. Lucas ait, angelum dixisse spiritum sanctum superuenturum super Mariam, & tamen cum Iesu ad templum ire pergunt. Si tem- *Virgilius. Matth. 1. Luc. 1.*

templũ domus orationis eſt, teſte Chriſto, imò ſi Chriſtus vocet domum patris ſui, quis addubitauerit, quin huc ſe recipere debeat Chriſtiani? Victor li. 2 Victor Vticenſis narrat quomodo Hunericus Vandalorum rex conſtituerit in Africa tortores, qui ad templorum oſtia obſeruarent, atque eò venientes atrociter inuaderent, neque tamen idcirco populus templum reliquit. Sed præſtat verba auctoris audire. Statuit (inquit Victor) Hunericus in portis eccleſiæ collocari tortores, qui videntes fœminam vel maſculum in ſpecie ſuæ gentis ambulantẽ, ilico palis dentatis minoribus iactis in capite crinibuſque in eiſdem collocatis, ac vehementius ſtringentes ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferrent. Nonnulli dum hæc fierent, oculos amiſerunt, ſtatim alij ipſo dolore defuncti. Mulieres verò poſt hanc pœnã capitibus pelle nudatis, precone præeũte per plateas ad oſtenſionem totius ciuitatis ducebantur, quod ſibi (quę patiebãtur) lucrum maximum computabant. Quorũ nos plurimos nouimus, neſcimus tamẽ aliquem eorum, etiam pœnis vrgẽtibus à recto itinere deſtitiſſe. Hactenus Victor. Vides Chriſtiane auditor, quãto olim ardore à fidelibus ad templa properatum ſit, nec vllis tormentis homines inde potuiſſe arceri. Atqui hac noſtra tẽpeſtate reperies nõ parum multos, qui ſuas officinas, imò porcorum ſuorum haras ac templa iuxta æſtimãt, ne nõ deſint nobis hodie VVycleſitæ. Sed obſecro bonos illos viros, ſi domũ prophanã, aut harã porcorũ Chriſtus vnquam vocauerit domũ patris ſui. Legimus lib. 2. Paral.

ral.cap.7.quòd Dominus elegerit templum in locum sacrificij, oculos quoque suos fore apertos, aures que apertas, vt videat & audiat eos qui ibi precati fuerint. An hoc vnquam dictum est de loco prophano? Hieroboam ille impius, qui populum Dei à templo alienabat atque arcebat, multos sui similes in hoc nostro orbe Christiano habere mihi videtur. De hoc verò sacrilego narrat Iosephus libro Antiquitatum cap.8. quod erectis duobus vitulis, populo persuadebat non amplius accedere ad templum Salomonis, quia, inquit, quid opus est eò cõuolare? nullus est locus qui non habet Deũ. Item templum illud Hierosolymitanum factum erectumque est ab homine, igitur non oportet illuc ire adoratum. Eadem olim loquebantur VVyclefistæ, & illorũ hæredes Lutherani. Templum, inquiunt, est opus hominis & manufactum. Deinde nullus locus est qui non habeat Deum, igitur non oportet accedere ad templum. Sed respondete quęso, ô viri boni, & & spiritu nescio an diuino afflati; ignorabat Maria Deum esse vbique? Ignorauit Ioseph, ignorauit Iesus? Quare Ioseph nõ profudit preces suas in sua officina, & quare Maria precatura patrem, se non recipiebat in cubiculum? Quid quæris ô virgo Deum in templo? nullus locus est vbi presto non sit, ergo & domi tuæ est, igitur cõsequitur non esse necesse te prodire in publicum, sed virginei pectoris tui æstus omnes & vota domi tuæ, ei qui vbiq; est, retegere. Memoriæ nobis prodidit Thomas VValdensis titulo 17.cap.146. Quod & Manichæi hære-

2.Paral.7. *Iosephus li. 8. antiquit.* *Thom. VValdens.*

hæretici indignabantur,& murmurabant contra legem veterem,quòd ea doceret Deum habitare in tabernaculo, cùm illud nihil sit aliud quàm opus hominum. Id disertè docet D. Aug. lib. contra Adimantum. Sed presſius stringamus hæreticos: Nónne Dauid rex delegit sibi locum peculiarem, vbi Deo sua vota funderet? Nunquid ignorauit Deum esse vbique? Quare igitur non precabatur in aula sua? Imò egressus potius aula, sedit coram Domino, id est, loco sacratiore, nempe vbi erat arca Dei Israël, 2. Reg. cap. 7. Quod si è nouo testamento quispiā testimonium desideret, age & ad Apostolorum cœnaculum veniamus: quod cùm nō sufficeret Apostolis ad orandum, ibant Petrus & Ioannes in templum ad horam orationis nonam. Quid quod D. Augustinus dicat Salomonem Domino ædificasse domum, vt in ea moraretur & habitaret? Quòd si Deus non sit in templo peculiari & singulari modo, quid Paulo venit in mentem, vt præciperet mulieri, dum versaretur in templo, operire & tegere caput propter angelos? Quòd si angeli essent in domo prophana, oporteret & mulierem ibi etiam velato esse capite. Verùm quoniam Dominus in templo est, idcirco ibi & angeli sunt. Id habet Chrys. homilia. Quòd verò & puer Iesus ductus sit ad templum à parentibus, paratum est omnibus parentibus castæ educationis exemplum, videlicet quòd non deceat solùm, verùm quòd & cumprimis conducat ex sese prognatos, vbi per ætatē discere possunt, sanctis moribus instituere liberos, ad templa ducere, ac preca-

Aug. cōtra Adimantū cap. 10.

2. Reg. 7.

Act. 3.

Aug lib. 1 de symbolo ad catechumenos.

1. Cor. 11.

precationis formam aliquam & modum tradere. Quod abundè præstitit Anna, quæ filium ablactatum confestim ad Syloë adduxit, ac ipsi Heli veluti in sinum persanctè educandum tradidit. At vos (inquit Chrysost. homil. 2. in Ioannem) ad spectacula filijs adductis, neque ad doctrinam, neque ad aliquam bonam frugem eos hortamini. Verùm si quid sanctum, si quid spirituale comparandum, inanem id appellatis sollicitudinem. Nónne iram Dei in vos prouocatis, cùm cæteris rebus, & certo tempore, & diligenti cura adhibita, in diuinarum rerum doctrina pueros exerceri, molestum intempestiuumq; ducitis? Non sic fratres, non sic. Hæc profectò ætas maximè admonitionibus indiget: tenera est, & facilè quę ei instillantur, imbibit, & audita accipit tanquam sigillo ceræ, hoc est, puerorum animis impresso. 1. Reg. 1. Homilia 2. in Ioãnem Chrys.

Consummatisq́, diebus cùm redirent. Ecce beneuole & candide auditor, non discedunt pijssimi isti parẽtes Iesu, nisi omni solennitate iam consummata. Nos vel negotiolum aliquod vel domi detinet die festo, vel è templo reuocat. Indignatur Chrysostomus (locus modò non occurrit) quòd cùm tot fluãt, ferè dixi, pereant horæ in hebdomadæ, nos vix vnam rebus diuinis consecrare. Iam in pagis ferè receptissimum est, & longo vsu vel potius abusu confirmatum, vt bona pars hominum vix ostensis missæ sublimibus mysterijs, è tẽplo se domum recipiat, aut in cœmiterium, vt de coruis picisque volantibus, picarũ ad instar, garriant, nonnullis cũ bellis compotoribus in ceruisiariam

tabernam recta commigrantibus. Vxores verò interim cum paruis liberis ne sint otiosi, atrum & obduratum panem arrodunt. Dispeream nisi hæc sint mihi compertissima, quippe quæ his oculis plus milies vidi. At hic dormiũt leges, dissimilat magistratus, & silent pastores

Esaiæ 56. ipsi, ne bilem moueant gregi. O canes mutos, non valentes latrare. Consummētur mysteria, spargatur in ablutionem venialium aqua lustralis, & tum quisque domum repetat suam. Quid

Erasmus in præfa. libelli Algeri de Eucharistia. inquit Desiderius Erasmus, audiens comediam aliquam aut fabulam, expectas catastrophen, neque discedis priusquam audieris, *Valete & plaudite:* & è templo te concitus proripis foras, antequam sacerdos absoluerit sacrum? An hoc est satisfacere præcepto ecclesiæ? Hoccine est diem festum colere? His tamen multò sunt peiores, qui ne templum quidem ingredi, aut altare visere dignantur, dum alij venantur, alij nescio quo proficiscantur, alij cuticulam curent, ac Baccho aqualiculoque serio litent ac sacrificent. Denique dum alios supina segnities vel lecto affigit, vel foco. Verùm illud hominum genus ego arbitror esse sceleratissimum, quod templa prorsus despicit, ac pro execratis habet

Concilium Gangrēse. locis, tantum abest vt ingredi velit. Contra huiusmodi fulmen suum intorquet synodus Gangrensis can. 5. his verbis, Si quis docet domum Dei contemptibilem esse debere, & congregationes quæ in eis fiunt, anathema sit.

Remansit puer Iesus in Hierusalem. Volebat puer duodennis veluti radiũ aliquem sui splendoris legisperitis & Pharisæis aperire. Quòd verò

verò id faciat clam parentibus, eo id facit consilio, ne illi carnali quadam prudentia ducti remoram aliquam præclaro negotio inijcerent, vna docens in euangelico negotio carnalem cognationem, aut parentum auctoritatem esse negligendam. Id quod epistola ad Heliodorum præclarè docuit D. Hieronymus: Licet, inquit, *Hiero. epi.* paruus ex collo pendeat nepos, licet sparso cri- *ad Heliod.* ne & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater, ostentet: licet in limine iaceat pater, per calcatum perge patrem, & siccis oculis ad crucis vexillum euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Hinc sanè Deut. 33. lau- *Deut. 33.* datur tribus Leui, quòd neque patris, neq; matris rationem habuerit, sed potius dixerit, nescio vos: & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos. Oportet igitur eos qui syncerius cupiũt esse religiosi, ac Deo se totos in holocaustum dedere, astorgiam quandam induere: & veluti inhumanos esse erga cognationes suas, & dicere, quid mihi & tibi est mulier? Nam *Ioan. 2.* negotium quod animo versant, neque caro, ne- *Matth. 16.* que sanguis illis reuelauit, sed pater eorum qui in cælis est. Non est relinquendus Deus pater carnalium parentum amore, neq; domus Dei: si te parentes domi desidere velint, habet parentum auctoritas fateor suos limites, sed quibus omnino & refragandum, & renunciandum est, si alio vocet Deus. Par est enim, vt humana concedãt diuinis, & homo nolit præferri Deo.

Et non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos, & non inuenien-

uenientes reuersi sunt in Hierusalē, quærentes eum.
Beda Venerabilis Beda auctor est, filijs Israël hunc placuisse morem, vt vbi res ac stati solennesque dies postularent, populum venire Hierosolymam, seorsim viri, seorsum fœminę incederent, pueri verò vtrilibet parentum se iungebant: atque ita factum opinor, vt Maria Iesum rata sit hæsisse patri, ille verò cum matre existimauerit reuersum. Hinc tristis ille error & sollicitudo. *Et factum est post triduum, inuenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem.* Hic est rectus disciplinæ ordo, prius audire eruditorum virorum doctrinam, & ab eorum ore pendere, deinde de audi-
Eccles. 32. tis inquirere. Id legis Ecclesiast. 32. Audi tacēs simul & quęrens, & pro reuerentia accedat tibi gratia bona. Summa igitur cum reuerentia in templo doctores & pastores animarū audiēdi, curandumque sedulo, ne vel verbulum præteruolet impunè: Huc facit quod scribit Chryso-
Chry. hom. 2. in posteriorem ad Corinth. stomus Homilia 2. in poster. ad Corin. epistolam. Pudet me, inquit, istorum, qui vix semel quotannis comparent in ecclesia. Quam isti
Psal. 1. possunt habere excusationem, qui cùm iubeantur totos dies, ac noctes versari & meditari in lege Domini, ne minimam quidem vitæ portionem huic studio impendunt, vt eorum quæ
Ambr. ser. 33. lex docet, meminerint. D. Ambrosius summam desiderat diligentiam in visitādis ecclesijs. Surgentes, inquit, primo diluculo ad ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias, peccatis veniam postulemus, rogantes præteritis peccatis indulgentiam, cautelam futuris. At nunc no-
stratium

ſtratium vulgus,cùm ſit rude & ineptũ,nec audire in templo: & cùm ſit varijs vitijs obnoxium, nec ibidem precari Deum ſtudet. Hinc vix hominũ pars decima ad ſolennia ſacra conueniunt,ſed ingens in templis vbique ſolitudo, vt nunquam à reparato orbe verior fuerit illa Hieremiæ querela. Viæ Syon lugent,eo quòd non ſint qui ad eius veniant ſolennitatem. Neque ignorant iſtud Turcæ,neq; non vident hęretici, ac nos omnino habent ludibrio. Viderunt (ait Heremias) Hieroſolymam eius hoſtes,& deriſerunt ſabbata eius. Aiunt & coniurati hæretici: Quieſcere omnes dies feſtos Dei à terra, vt ſemel omnes beneficiorum diuinorum memoria ex hominum mentibus eradatur. Quanquam hic interim diffiteri nolim,& ſacerdotes ipſos templorumque præſides, non omnino extra noxiam eſſe, quòd populus non ſit vel audiendo ſacro addictior, vel concionibus excipiendis alacrior, vt ferè illud Machabæorum apud nos locum habeat. Sacerdotes iam nõ circa altaris officia deditiſunt, ſed contempto templo,& ſacrificijs neglectis feſtinant participes fieri paleſtræ & præbitionis iniuſtæ, patrios honores nihili habentes. Malachiæ 2. reputat Dominus ſolennitatem malè obſeruatam,nihil aliud quàm oletum ac ſtercus.

Thren. 1. *Ibidem.* *2. Mach. 4.* *Malach. 2.*

Inuenerunt eum in medio doctorum,&c. Attendant, ac non otioſè ſecum conſiderent paſtores,quidnam doceant,qualique pabulo gregem ſuum paſcant,ne pro tritico cicutam, aut toxica adminiſtrent. Nam Chriſtus non longè ab illis eſt, & animi propoſitum, & doctrinæ qua-

litatem, apertè in medio ecclesiæ conspiciens. Quod si cum ipsis auditoribus ipse quoq; præsto est, verisimile est illum olim exacturum dissseminatæ & sparsæ doctrinæ rationem. Idcirco D. Paulus commonens episcopum Timotheũ,
2.Timot.2 Exhibe te (inquit) operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Græcè est ὀρθοτομοῦντα, rectè secantem. Sunt qui metaphoram tractam putant à cocis, qui rectè solent diuidere cibos.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et merito stupebant, cùm tantillus puer percontationibus & responsis admirabilem quandam, & plusquam senilem declararet sapientiam, in tenera ætate depromens, quæ prouectæ ætatis rabinos non
Origenes. pigeret discere. Origenes asserit tam sublimia & subtilia eum rogasse, vt non possent docto-
Theoph. res illi respondere. Theophilactus ait, eum de lege illos interrogasse. Porrò hoc mirum videri hic potest, quòd doctores isti tanta oblata salutis occasione, non sunt conuersi. Quare non studiosè scrutabantur singula, quare non excutiebant animos parentum? Mea sic stat sententia, inuidia, & inani gloria fuisse occæcatos. Et quanquam diuinæ dispensationis radium aliquem in puero cernerent, non penitus eum admiserunt. Vnde non quiuerunt perspicere, quid
Lactantius li.4.cap.2 sibi vellet lux euangelica. Lactantius ille Firmianus vnicè miratur, quid causę fuerit, cur tot ingenijs, totque temporibus summo studio, & labore quæsita non reperiretur sapientia. Causam reddit, quia eam, inquit, extra suos fines quæ-

quæsierunt. Euanuerunt enim in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum Rom. 2. Vnde equidem soleo mirari, inquit Lactantius, quòd cùm Pythagoras & postea Plato amore indagandæ veritatis accensi, ad Ægyptios, Magos, & Persas vsque penetrassent, vt earum gentium ritus & sacra cognoscerent: ad Iudæos tamen non accesserint, penes quos tũc solos erat veritas, & quo facilius ire potuissent. Sed auersos esse arbitror, ne scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis Dei veri iustitiam religionemque cognoscere. Sic nondum igitur velamentum istud ablatum erat ab oculis istorum doctorum & Rabbinorum. Imò neque Gamaliel, neque Simõ leprosus, deniq; neque Nicodemus, ex animo satis, aut serio Christo hæserunt, nisi cùm velamentum istud esset ablatum, nebulæque discussæ. Vnde mihi sic videtur per Christi tandem passionem nouã quãdam lucem affusam esse mortalium mentibus, in qua & suos errores, & euãgelicam veritatem atque sapientiam, dono fidei accedẽte, clarè perspicere potuerunt. Nam stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, & placuit ei per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.

Rom 1.

1. Corint. 1

Et dixit illi mater, fili quid fecisti nobis sic: Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Cum dolore quærunt puerum, quòd metuerent ne illorum aliqua offensus culpa, nollet deinceps illorum vti ministerio: aut quia metuebãt, ne culpæ loco illis esset, quòd negligentius tantum thesaurum custodiuissent, quem non ignora-

bant suæ curę creditum. Modestè verò, vt semper, loquitur Maria: non enim ait, ego & pater: sed potius pater tuus & ego, dissimulata vteri sui dignitate, & ordinem cõiugalem seruans, in quo maritus præcedit vxorem.

Et ait ad illos, Quid est quod me quærebatis, nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Non in eam partem accipienda sunt hæc verba, acsi acerbè cum matre agere voluisset. Imò potius modestè locutus est, vt eius decuit erga matrem, imò & erga omnes humanitatẽ. Nesciebatis, inquit, id est, non vobis veniebat in mentem, quòd me patris negotia tractare oportuit? Hæc Iesu oratio non satis à parentibus intelligebatur. Nam præ se ferebat quòddam homine maius, præsertim in ætate tam tenera. Vult igitur dicere Christus: quòd vobiscum, ô parentes, non sum reuersus domum, nõ est cõtemptus vestri, sed res ita postulabat, postulabant & patris negotia, quæ non diligenter curare scelus est. Itaque patris vnius gratia hic sum, hic audio, hic interrogo: Nam hæc patris mei domus est, & officina salutis: hic me operari oportet.

Nesciebatis quod in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Istud primum omnino verbum est, quòd Iesus legitur esse locutus. Verbum sanè tale, quòd & aureis literis decet vbique exarari & pingi. Hoc verbum voluit per orbem à concionatoribus prædicari, & ab euangelista Luca scribi. Olim curabant parentes sedulo & præcipuè matres, cum lacte, suorũ paruulorum ori verbum aliquod sanctius, ac insignius inserere,

Primũ verbũ Christi.

rere, vt vbi per ætatem liceret, illud primo effarentur. Vidi ante annos 30. Gandaui puellam, quæ nullam plenè poterat ſonare ſententiam, quàm hanc Godt danck. hoc eſt, Deo gratias. Sic ſanctiſsima illa matrona Monica (cùm ſciret à teneris conſueſcere multum, Auguſtinulo ſuo inſerebat, & veluti inculcabat nomen, Ieſus, Quapropter cùm in Philoſophorũ ac Re- *Verg. Georgic. lib. 2.* thorum libris, in quos fortè incidebat, non reperiret nomen Ieſu vel Chriſti, flagrantia pectoris eius refrixit confeſtim, Id fatetur ipſe li. 3. Confeſſ. cap. 4. Hoc nomen, inquit, cor meũ *Aug. lib. 3. Confeſſ. c 4.* cum lacte matris piè biberat, & altè retinebat, adeò vt quicquid ſine hoc nomine fuit, licet expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat. Neque id vſqueadeo mirum, cùm, Fabio *Quintilianus lib 1. cap. 1.* teſte, natura tenaciſsimi ſimus, quę rudibus animis ſuſcepimus, vt ſapor quo noua imbuas, durat: nec lanarum colores, quibus ſimplex ille cãdor mutatus eſt, elui poteſt. Quòd verò tenellis ingenijs peſsima quæque primo inſerimus, docet ca. 2. Vtinam, inquit, liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Nondum prima verba exprimit, iam coccum intelligit, iam conchilium poſcit. Gaudemus ſi quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda delitijs, riſu & oſculo excipimus. Nec mirum. Nos docuimus, ex nobis audierũt, noſtras amicas, noſtros concubinos vident. Omne conuiuium obſcænis canticis ſtrepit, pudẽda dictu ſpectantur. Diſcunt hæc miſeri, priuſquam ſciant vitia eſſe. Hactenus Fabius.

Neſciebatis quòd in ijs quæ patris mei ſunt,

 opor-

oportet me esse? Sit tibi, ô Christiane, hoc primũ Christi verbum clypei loco, aduersus omnes assultus & machinamenta antiqui draconis. Obstrepunt aliquoties in templo precanti, aut meditanti phantasmata libidinis, aut auaritiæ malum. Hic tu clypeum hunc obijce. Nescitis obstrepere cogitationes, quòd in his quę patris mei sunt, oportet me esse? Abite in malam rem. Non mihi vacat vobis auscultare, opus patris mei facio, & in hoc sum totus, vt nihil mei vobis decidi queat.

Et ipsi non intellexerũt. Et descẽdit cũ eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Oportet vel ex vi præcepti quarti decalogi, filium parenti-
Lib. 1. confes. ca. 10. bus obedire: D. Aug. fatetur se peccasse, quòd fecerit contra precepta suorum parentum. In-
Bernardus ser. 3. de resurrectione. obediens, inquam, eram amore ludẽdi. D. Bernardus serm. 3. de resurrect. Quis, inquit, iam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando ipsa sapientia consilium suum deseruit. Sic mutauit consilium suum, vt quod iam tum ceperat, vsque ad tricesimum annum ætatis suę omiserit prorsus. Nihil enim ab hoc duodecimo eius anno, de eius vel doctrina vel operibus inuenis vsq; ad annum tricesimũ. Sed cõsilium tuum Domine si non bonũ, quomodo tuum? Si bonũ, quomodo relinquẽdum? Bonũ eius consilium, bona & voluntas eius, tamen relinquẽda
Ber. ser. 19 in cantica. vt fieret melior. An ignoratis quia melior est obediẽtia quã victimæ? An nõ legistis in regula vestra, quòd quicquid sine licentia vel consensu spiritualis patris fit, vanæ gloriæ deputabitur, nõ mercedi? Verũ nũc exactius rẽ expẽdamus.

Erat

Erat subditus illis. Quis quibus? Deus hominibus. Deus inquã, cui subditi sunt angeli, subditus erat Mariæ. Nec tantum Mariæ, sed & Ioseph propter Mariam. Miror vtrumlibet, siue filij benignissimam dignationẽ, siue matris excellentissimam dignitatem. Vtrimq; stupor, vtrimque miraculum. Quòd Deus fœminæ obtemperat, humilitas absque exemplo: & quòd fœmina principetur, sublimitas sine socio. Bern. ser. I. Missus est.

Et mater eius cõseruabat omnia verba hæc in corde suo. Omnia quæ facta dictaq; erant de puero sedula & cordata mater animo memori voluebat, pauca quidem de filio loquens, plurima cogitans. Nam si raras filij dotes in quoscumq; incidisset, denarasset, videri poterat philautula. Consulto igitur recondebat omnia, vnde & cõda merito poterat dici. Vbi verò fuit opportunum, tum promam agere cepit, & Apostolis ipsis dictare, quæ scribenda erant, vt filij sui nomen per totum orbem prædicarent. Atque ob id videtur Lucas iam secundo dixisse, Mariam omnia in corde suo conseruasse.

Iesus autem proficiebat sapientia & gratia apud Deum & homines. Euangelio præcedentis Dominicæ satis, opinor, explicuimus, quo pacto hanc sententiam intelligere debeamus. Sed quoniam recentiores paulò aliter interpretantur, age & hoc ostendamus. Dicunt igitur recentiores scriptores, Christum secundum diuinam sapientiam, hoc est, eam, quæ ei secundum diuinitatem cõpetit tanquam Deo, non profecisse: secundum verò sapientiam humanã, hoc est, secundum eam quæ ei vt homini competit,

verè

verè profeciſſe, hominum quidem more, ſed tamen ſupra modum humanum. Nemo enim vnquam mortalium tantis progreſsibus atque Chriſtus profecit. Verſabatur autem Ieſus in ciuitatula Nazareth, veluti ſub imperio parentum viuens, donec veniret tempus à patre præfinitum, quo ſeſe miraculis ac prædicatione mundo proferret: nos interim exemplo ſuo monens, ne quis ad euangelicum munus temerè & importunè ſemet ingerat, prius quã ætatis acceſſu, moribus inculpatis, doctrina ſacra cæleſtique vocatione docendi ſibi colligat auctoritatem. Ieſus enim vſque ad annum fermè triceſimum nihil inſigne geſsit, niſi quod ſupra modum humanum, quẽadmodum proficiebat corporis ſtatura, viribus, ætatis acceſſu, ita vberius ſe in eo promebat cæleſtis illa ſapientia, reliquæque dotes diuinę: quibus vt erat commendatiſsimus Deo, ita quotidie magis ac magis commendabatur hominibus, in notitiam hominum paulatim & gradibus quibuſdam proferens.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Cùm factus eſſet Ieſus, &c. Græcè eſt ἐγένετο. Aptius eſſet. Cùm natus eſſet annos duodecim. Nã γίνομαι naſcor & γεγενώς, natus ſignificat. Aduertit id Gagneius, & non videtur animaduertiſſe Eraſmus, qui ad huiuſmodi minutias eſſe ſolet perſpicacißimus.

2.

Venerunt iter diei Hoc non eſt intelligendum de itinere quo venerant redeuntes è Nazareth ad quærendum

rendum puerum. Vno enim die venerunt è Hierusalem versus Nazareth, & non inuento puero vesperi inter amicos, altero die regressi sunt in Hierusalem: ibi verò tertio eum die inter doctores inuenerunt: post triduum, hoc est, tertio die, à quo fuerat perditus. Vnde Erasmum in paraphrasi suo esse hallucinatum, vult Iansenius.

3.

Audientem & interrogantem. Potius est audire quàm loqui. Qui audit, haurit, & colligit, atque impletur: qui loquitur, erogat, & exinanitur. Considerauit id Plutarchus, dum scriberet vascula inania, maximè tinnire. Sic & homines locutulæi & inanes, quàm maximè garriunt. Hos ὀξυγλώσσους, appellant Græci. Audire igitur prius decet, postea loqui & docere. Insignis est sententia, Prouerb. 25. Mala aurea in lectis eburneis, verbum dictum in tempore suo. Epictetus notat hominum generi binas aures à natura datas, linguam vnicam, vt intelligeremus plus auscultandum, quàm loquendum. Quid, quòd Pythagoræ discipuli totum quinquennium tacebant, quo expleto, tum demũ loquebantur? Is mos silẽdi olim fuit in laudatissimis cœnobijs receptissimus, primo quoniã in multiloquio vix vnquam deest peccatum: deinde etiã vt monachi se ab otiosis fabulis conuerterent ad studia seria, quibus & sibi ornamẽtum, & ecclesiæ vtilitatem parare possent. Viguit hæc silentij cõsuetudò in cœnobijs, ac floruit multos per annos, sed iam passim, prohdolor, antiquatur, & obliteratur: hinc ad iurgia & lites pronum stratum est iter. Collapsa & cætera religionis ornamenta, quæ hoc nostro seculo ad pristinum nitorem reuocare conatus est. D. Petrus à sancto Oudomaro ad D. Guinoci Bergis, quod oppidum Flandriæ est, monachus, tribus in hũc vsum æditis libris: quibus euulgatis, vtinã tantum posset quantum voluit. Optauero aliquem lapsorum in reli-

Prouer. 25

Epictetus.

religione morum nobis dari reformatorem, nam qui iam ab hinc octennio se hoc titulo venditauerunt, difformatores verius dici possunt. An hoc est cœnobia & ecclesias reformare, sacerdotes & monachos suis sedibus exigere, & illorum fortunulas harpeyarum more inuolare? Durū sanè remedium imaginem cœno aut puluere oblitam, nō abluere, sed frangere: calamum quassatum non alligare, sed conterere: pauimentum sordibus obsitū non euerrere, sed euertere. Quid obsecro Hercules ille monstrorum domitor, vbi Augiæ stabulum inquinatissimum perspexisset, quid obsecro incēdere illud debuit an repurgare? Iudas Machabæus mundauit
1. Mach. 4. templum, à promiscuis gentibus indignè pollutum. Et Christus Saluator noster non eiecit sacerdotes templi, sed cùm zelo domus patris sui totus absumeretur, sordes & abusus mercatorum repulit. Sed obijcit his atque obgannit Gotzica barbaries. Si haberemus huiusmodi monachos, quales habuerunt superiora secula, dum Basilius, Benedictus, Bernardus, Dominicus, & Franciscus, sitientibus salutis propriȩ populis, exēplum Christianæ vitæ prȩberent: dū Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonauentura, & Thomas VValdensis, docerent, ne ouum quidem in cœnobijs, vti in prouerbio est Belgis, loco suo mouissemus: sed cum sedulis istis apibus successerint fuci inertes, qui mella absumere, ac alienos labores deuorare solum nôrunt: quid mirum si ignauum illud pecus eijciamus, ac collapsos mores reformemus? O reformatores, fucos pellitis, vt crabrones eo loci reponatis. At fuci isti, sic enim appellatis religiosos, sua tantum patrimonia, suas hæreditates decoquunt ac dilapidant: at quo vos iure eas deuorabitis? Iure, credo, prædario. Nónne tolerabilius malū dilapidare sua, quàm inuadere aliena? Reformari & castigari cupiunt fuci, sed nō per crabrones.

Ante aliquot annos, ſimilem ferè in ſupera Germania, ſaltauerũt fabulam Luteranorum quidam, dum pulſis monachis ſuos miniſtros cum coniugibus, & liberis, in eiſdem ſedibus collocarent, quibus collati noſtri fuci, angeli potius fuerunt præ illis crabronibus. Vidi ego non ita longè à Dilinga Suæuorum, cœnobium ſanctimonialium D. Dominici, vbi Lutheranus miniſter cum bella ſua vxorcula, præfectus neſcio à quo, datus erat, ſanctimonialibus inuitis: quomodo enim ouiculę ferre poſſent pro paſtore lupum? Is bonus vir, cùm aliquot menſes iam ſudaſſet ſedulò, vt miſeras in ſuam pertraheret ſententiam, operam luſit. Vbi verò accepiſſet Carolum Quintum cum exercitu properare in Sueuiam, tanquam infeſtus, & irritatus crabro, oſtia, & feneſtras monaſterij, aditúſque omnes extrinſecus, ne quæ apis euolare, ac in tutum ſe recipere poſſet, obfirmauit, ac mox ignem templo iniecit. Rem horridam, ſed veram ſcribimus, cùm flamma iam vento adiuta, ferretur in ſublime, exciuit vicinos ruſticos, ac reſtrincturi improbitate & ſcelere vnius apoſtatæ natum incendium, accurrebant. Quid tunc animi trepidis ouiculis, quid conſilij ſollicitis apiculis fuit? Cogitatu id facilius concipi, quàm ſermone explicari poſſet. Sed ruſticorum prompto accurſu, apiculæ in tutum receptæ ſunt, & crabro cum Sara ſua, ferè dixi pſora, auolauit. Talia facinora deſignant noſtri crabrones reformatores, digni quibus pro talibus auſis, erigatur ſtatua, ſed qualis erecta eſt Eroſtratho, qui incendit templum Epheſinæ Dianæ. Non diffitemur equidem quin exulceratiſsimum iſtud ſeculum complures nobis ignauos monachos peperit, & fucos potius quàm ſedulas apes: non tamen vnquam concedet opinor quiſpiam, vt ſi apes in fucos degenerauerint, expediat tum pro fucis crabrones reponere.

Pſora, ſcabies.

Eſt in

Eſt in Germania, non lõgè à Lipſia cænobium, quod Cellam appellant. Vbi olim optimi floruerũt monachi, quibus ſucceſſerũt tanquam apibus fuci, effrenes & rebelles : eis eiectis & expulſis, inuaſerunt locum hæretici, quibus hoc vnicum fuit ſtudium, vt omnem religionem & pietatem funditus ſemel euerterent & abolerent. Qua de re elegans carmen eſt eloquentiſsimi viri Silueſtri Zecanouij, quod quia noſtra hæc mirificè confirmat eſſe aſſcribo.

Gratum murmur apes his quondam viuere cellis
Nouimus, vnde pijs copia mellis erat.
Ignauum pecus hinc aliena ad pabula fuci
Venerunt monachi, beſtia pigra, vorax.
Denique crabrones his ſucceſſere maligni,
Qui fucorum & apum diſſoluére domos.

4.

Ieſus autem proficiebat. Gregorius Nazianzenus oratione 8. ita ait, Ieſus proficiebat, non quod incrementum aliquod acciperet (quid enim perfectis à principio perfectius fuit?) ſed quòd hæc paulatim detegebantur & apparebant, videlicet ſapientia & gratia.

5.

Gratia apud Deum & homines. Vox anceps eſt, gratia; poteſt enim accipi pro dono quo illi grati efficimur, ac benè viuimus. Aut accipitur pro fauore & acceptabilitate, vt ſignificetur Ieſum tempore gratiorem factum cùm Deo tum hominibus, cõmendatione videlicet virtutum ſe paulatim in ea profeſentium, & ſic gratia Teutonicè apud Flandros, appellatur beuallicheyt. Sic, ni fallor, accipitur Prouerb. 31. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, hoc eſt, Bedriegelijck is die beuallicheyt/ ende ijdel is die ſchoonheyt.

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAS EPIPHANIÆ EVANG.

Ioan. cap. 2.

DIE 3. *nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias.* Nescio quid vel frontis vel mentis olim fuerit vel Tatiano, vel Encratitis, vt nuptias suggillare & dãnare fuerint ausi: vsq;adeò, vt, teste Epiphanio, nuptias à diabolo esse doceant. Quod si verum esset, neutiquam vel Christus vel Christi mater Maria, has nuptias sua præsentia cohonestare voluissent. Diuus verò Hieronymus errorem hũc tribuit Marcioni. Diuus Paulus, vt Christianorum pectora aduersus huiusmodi pestem muniret, prędicit Timotheo exorituros fidei apostatas, qui nubere prohibeant. Quod Paulinum dictum mirè exagitant religionis nostrę aduersarij, ac pro se illud stare contendunt, grauiterque peccare nostros antistites, qui sacerdotibus coniugia interdicant, vt aptiores scilicet essent ad suum munus exercendum. Atqui ô boni cẽsores, quis vnquam Romanorum pontificum, vel stilo, vel verbo suggillauit nuptias? Illorum solum canones certos quosdam eximunt dies ob religionem sacerrimos, atq; ob id Deo vni consecrandos, quibus vetant contractum fieri coniugiorum. An obsecro interdicit bellũ gerere, aut arma in hostem mouere, qui clericos à pugnis abstinere monet? Et qui esum carnium statis Quadragesimæ diebus vetat, is ne statim in vniuersum carnium vsum abrogat? Si igitur pontifices dicãtur cum Tatiano damnare ma-

Epiphanius hæresi 47.

Hieron. li. 1. contra Marcionẽ.

1. Timo. 4.

trimonium, quia ſacerdotibus vxorem ducere
1.Tim.5. non ſinunt eſſe integrum, igitur & Paulus eiuſ-
dem criminis reus eſt, qui viduis Deo dicatis
ſcribit non eſſe liberum ac integrum nubere.
1.Corin.7. Et 1.Corinth.7.prefert caſtitatē matrimonio.
Sed audiamus quo pacto Epiphanius probet
nuptias & licitas eſſe & ſanctas. Dicit, inquit,
Geneſ.1. Dominus in Geneſi: Creſcite & multiplicami-
Matth 19. ni. Et in Euangelio: Quæ Deus coniunxit, ho-
Hebr.13. mo non ſeparet. Et D. Paulus: Honorabile cō-
nubium, & thorus immaculatus. Hoc armorū
genere ſe defendit Epiphanius, contra ſcholam
Tatiani. Nunc Chryſoſtomum audiamus, qui
videtur contra eos agere, qui aiunt nuptias ob-
ſtaculum eſſe ijs qui vitam meditantur corre-
ctiorem, ac ſeriò cupiūt placere Chriſto. Chry-
Chryſ. homil.25. in Geneſim. ſoſtomus igitur homilia 25. in Geneſim, ita
ſcribit in iſta verba, Placuit Enoch Deo, poſt-
quam genuit Mathuſalem: Si nuptiæ, inquit,
forent impedimentum virtutum, nequaquam
nuptias in hanc vitam introduxiſſet Dominus.
Sed nihil obſtant nuptiæ, ſi ſobrij eſſe volueri-
mus, imò magnam adferunt conſolationem,
dum comprimūt inſanum naturæ motum: nec
turbari quaſi mare ſinunt, ſed quaſi ſcapha fœli-
citer faciunt in portum appellere. Ne dicas igi-
Idem libel. contra Iudæos. tur, ait Chryſ. contra Iudæos ſermone: nō poſ-
ſum bene viuere propter nuptias. Nōne Moy-
ſes vxorem habuit, & tamen cælo manna de-
duxit? Nónne & mare aperuit? Petrus Apoſto-
lorum caput nónne vxorem habuit? Affinia ha-
Idē homil. de verbis Eſaiæ. bet iſtis homilia de verbis Eſaiæ. Nihil, inquit,
mali habent nuptiæ. Mulier ſi proba, adiutorio
tibi erit,

tibi erit: si non fuerit commoda, sed improba, fac eam commodam. Vxor Iob improba erat & praua, sed quid nocuit illi? Suasit eum blasphemare, nunquid labefactauit turrim, aut deiecit adamantem, aut depulit militem? Nihil horum. Illa impellebat, & arbor reddebatur stabilior. Illa fluctus excitabat, & nauis nõ submergebatur. Sed ais, è paradiso me expulit, sed eadem in cęlum induxit. Bona vxor est solatio, mala est patientiæ. Abrahã nónne habuit vxorem? & tamen factus est pater omnium gentium. Quid Machabæorum mater, nónne vxor fuit, nónne septem filios addidit sanctorũ choro? Chrysostomo addamus Lactantium latinũ. *Lactantius de officio Dei, cap. 9.* Qui habet coniugem, nihil quęrat extrinsecus, sed contentus ea sola sit, carnem castiget, & inuiolati cubilis sacramenta custodiat. Adulter enim Deo est, qui abiecto iugo, vel in liberam, vel in seruam peregrina voluptate luxuriat. Nunc ijs iungamus neotericum, qui ita ait, Si matrimonij quærimus auctorem, non à Moyse, aut Lycurgo, non à Solone, sed ab ipso rerum summo opifice conditum atque institutum est. A Christo autem cohonestatum consecratumque miraculorum suorum primitijs. Si leges à mortalibus institutas sacrosanctas habemus, nónne erit cõiugij lex sanctissima, quam ab eo accepimus, à quo & vitam? Quã legem vt confirmaret, ad nuptiale conuiuium cum matre lubens adfuit. Vetus lex adeò honorauit coniugij sanctitatem, vt qui sponsam duxisset, eodem anno à belli tumultibus remotus, non cogebatur exire militatum. Leges autem Romanæ

 ita ho-

ita honorârunt coniuges, vt eos qui masculos genuissent, ac ita Rempublicam auxissent, eis, tanquam benè meritis præmium è publico statuerunt. Apud Hebræos, steriles coniuges etiã à communibus aris arcebantur. Postremò, vt cognoscas quantum matrimonio tribuerit antiquitas, Violati matrimonij pœnas mihi perpende. Nam nõ Romanis modò, verùm etiam Hebręis & Barbaricis legibus violantęs coniugij iura, pœna plectebantur capitali. Ita enim natura magistra censebant non conducere modò, sed & decere, vt is omnino extingueretur, qui id violasset, vnde populus non esset. Nec hoc fuit contenta supplicio legũ seueritas, permisit etiam adulterum sine iudicio ac indicta sententia confodere, ac iugulare, nimirum id donans dolori maritali. Sed obiecerit quispiam multos viros olim apud ethnicos infamasse nuptias, ac tanquam execrandas vitauisse. Sed argumentum hoc plane nullum est. Sunt qui infamant celibatum atque virginitatem, nõ propterea vel fugiendus cœlibatus, aut virginitas explodenda? Sed ethnici plerique non Deum, quem nesciebant, sed carnem sapiebant, & idcirco vaga, & communi Venere vti, ac potius per varios thalamos volutari, quàm ad vnam vxorem astringi volebãt. At Simonides Poëta, dicet quispiam, dissuadet nuptias: Sed hoc nihil est. Fortè inciderat ille in vxorem incommodam, aut suis studijs, & Musis obstreperam. Sed audiamus quidnam Simonides dixerit: Rogatus quid esset vxor, respondit: Domus tempestas, viri naufragium, quietis impedimentum, vitæ

Simonides poëta.

vitæ captiuitas, pœna quotidiana, bestia contubernalis, canis ornata, malum necessarium. Sed valeat Simonides, & quid Marcus Cato vir apud Romanos prudentiæ existimatione celebris dixerit, audiamus: Si, inquit, posset esse mundus absque mulieribus, conuersatio nostra non esset absque dijs. Quòd ad M. Catonem attinet, lubenter ego eum virum sapiẽtem, sed absq; Christo, fatebor. Vnde & nostris scriptoribus affinia dixit. Nam & Chrysostomus & Hieronymus ac plerique alij, vbi res ita postulabat, matrimonij incommoda nonnunquam recensuerunt, & præsertim vbi pro cælibatu, aut virginitate dicerent. Nemo tamen illorum damnabat nuptias. An damnat nuptias, qui cęlibatum illis præfert? Num damnat argentum, qui illi præfert aurum? Horatius ait: Melius nil cælibe vita. Et quidam cælibes dici volũt quasi cælites. Sed de nuptiarum laude plus satis: & melius foret forsitan virginitatis agere encomiasten & propugnatorem, eò quòd hæc plures habeat hostes, quippe quæ hac tempestate apud plurimos male aũdiat. Verùm alias dabitur locus illam & calamo, & lingua, celebrandi. Nunc verò matrimonij laudes cecini, quòd euangelium ita postulare videbatur.

Vocatus autem est & Iesus, & discipuli eius. An affinis vel propinquus fuerit Christus nouis nuptis, Euangelista non exprimit, plerique tamen aiunt ob affinitatem vocatum atque idcirco & Iesum cum quatuor, quos iam habebat, discipulis. Fortè & ob singularem erga Iesum deuotionem, cuius virtus, vitæ integritas,

ac morum grauitas iam plurimos ei conciliabant, illũ inuitauerũt. Sperabant, credo, fœlicius succeſſuras nuptias, ſi ſua præſentia Chriſtus
2. Reg. 6. eas fuiſſet dignatus. Ex eodem affectu, rex Dauid olim arcam in domum ſuam tranſtulit. Et
Luc. 19. Zachæus Chriſtum magno affectu ſuſcepit. O fœlices has nuptias vbi tales conuiuæ. A ſeculo, opinor, non fuiſſe tale conuiuium. Primò, aderat ibi totius pudicitiæ ſpeculum Maria. Deinde innocentiæ, atque virtutum omnium fons, & origo Chriſtus. Poſtremò, iam melioris ſpiritus iam ſtudioſi Apoſtoli. Nihil ibi erat nõ modeſtum ac frugale. Huiuſmodi ferè erãt nu-
Tobiæ 8. ptiæ iunioris Tobiæ, vbi cum timore Domini exercebant conuiuium nuptiale. Primo ſponſus erat timens Deum, optimi nimirum patris optimus filius: ſecundo ſponſa erat Zara caſtiſſima, & ſpectatæ modeſtiæ puella: tertio aderat & Gabelus vir pius ſanè, vt interim ſileam ſponſæ parentes par incomparabile: poſtremò aderat & angelus Raphaël, nouis nuptis benedicens. Nunc ad huius tempeſtatis nuptias cõuertamus oculos. At Deum immortalem quàm ſunt hic omnia diuerſa? Non Ieſus vocatur, ſed Bacchus: non Maria, ſed Venus. Clamant ple-
Vergil. 1. Aeneidos. nis tibijs conuiuæ. Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno. Neque inuitantur ſobrij & frugales diſcipuli Domini, ſed Comos, id eſt, Deus nocturnarum compotationum. O infauſtas nuptias. O inauſpicati hymenæi. Equidem ſi qua fides Bacherio, ego reor in his nuptijs defuturum vinum. Neque mutabitur ibi aqua in vinum, ſed vinum ſi quod fuerit, in frigidam

& inſipi-

& insipidam aquam. Quæris quare? Quia sine gratijs coiërunt nuptiæ, & quia exulat ibi Iesus. Itaque præter lasciuas cantilenas, commessationes, vomitum, & choreas, parū modestas, nihil ibi reperies quod Iesum, hoc est, salutem resipiat. O rem, inquit Ludouicus Viues, absurdam & præposteram, à votis potius & precibus auspicari decuit nouam vitā, ac serio precari vt nuptijs dignaretur adesse Iesus, ac præbere lætos successus. Dic mihi obsecro, cū prolixum ac longum ineundum sit iter, num vocas tibicines, aut cytharœdum? Dei potius inuocādum est numen, vt via cedat ex sententia, & saluus sanusque domum reuertaris. Longissimum est iter quod nouæ nuptæ & noui coniuges ingrediūtur, quod vix aliquādo post annos quinquaginta conficitur: & de choreis, commessationibus, compotationibus, vestiumque splendore & luxu cogitabis? Grauiter queritur Chrysostomus, quòd statim nuptiali die tener puellę animus, tot vndiq; flagitiorum machinis impetatur. Sed antè annos, inquies, mille ita factitatum est, imò & seculo Diui Ioānis Chrysostomi. Fatemur quidem isthuc, sed quid inde consequitur? An idcirco nō fuit peccatum? Sed audiamus Chrysostomum homilia 56. in Genesim, describentem nuptias Iacob patriarchæ & Liæ. Num in his, inquit, nuptijs tibiæ, aut cymbala, num choreæ diabolicæ? Quare dic mihi, tantum damnum introducis in domum tuam? Quare cum sumptu intempestiuo lædis virginis continentiam, quare iuuené facis impudentiorem? Satis erat absque illis sufflationi-

Ludouicus Viues, libello de Christiana fœmina.

Chrys. homil. 56. in Genesim.

 bus æta-

bus ætatem eam posse ferre æquanimiter affectionum tempestatem. Cùm autem & hæc accedunt, & quę audiuntur, & quæ videntur, fornax concupiscentiarum magis inflammatur. Hinc verò omnia pereunt & corrumpũt, quia ab initio castitas eorum, qui inter se conuenturi sunt, oppugnatur.

Deficiente verò vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. D. Cyrillus notat matrem ex singulari humanitate, indicasse vini inopiã, nequaquam verò quod somniãt quidam, vt ex filij facto gloriam sibi metat & comparet. Nimirum (vt ait Bernardus) compassa est verecundiæ nouorum coniugũ, sicut misericordem & benignissimam decuit. Quid enim de fonte pietatis proflueret, nisi pietas? Quid mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nónne qui pomum in manu tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi seruabit odorem? quantum igitur virtus pietatis affecit, in quibus nouẽ mensibus quieuit? Et quãuis recessit ab vtero Christus, non tamen recessit ab animo.

Cyrillus. *Bernard.*

Vinum non habent. Verbum istud eximij cuiusdam fauoris est, atque vtinam verbum hoc matronis omnibus locupletibus in ore natet, & lingua. Ita planè decet mulieres omnes quæ re sunt lauta, facere, & pauperum extrema laborantium fame misereri. Vtinam reginæ & heroinæ commonefaciant maritos suos, vt dicant: Vinum non habet populus: Quis finis bello, quæ tanta licentia ferri? Non possunt suo viuere succo. Iam militũ improba crudelitate vastati sunt agri, abactũ pecus, diuexati coloni, cessat

ceſſat mercatus, exhauſta æraria: Nulla ſalus 11. *Aeneid.*
bello: Quin pacis rationes aliquas meditemur? Dicant heroinæ: Marite mi, puerpera illa vinũ non habet, quo difficilem ob partum vix trahens extrema ſuſpiria recreetur: panem nõ habent orphani illi, & pupilli: veſtem non habent viduæ illæ, nulla eis dorcas quæ tegat, nullus *Act. 9.*
Boos qui illis frumẽti paululum immenſo con- *Ruth 2.*
cedat aceruo, frigore pereunt vicini, lignum non habent, cùm hyems ſit, eaq; multo aſperrima. Quin miſeris ſuccurrimus, & peccata noſtra eleemoſynis, quod monet Daniel, redimimus?

Dicit ei Ieſus, Quid mihi & tibi eſt mulier? Ber- *Bernard.*
nardus homilia in hoc euangeliũ. Nónne Domine quod filio & matri? Quid ad illam pertines quæris, cùm ſis fructus ventris eius? Vtique propter nos ità reſpondet, vt conuerſos ad Dominum iam non ſollicitet carnalium cura parentum, & neceſsitudines illæ non prępediant exercitium ſpirituale. Quamdiu de mundo ſumus, debitores nos eſſe conſtat parentibus: at poſteaquam reliquimus noſmetipſos, multo magis ab eorum ſollicitudine ſumus alieni. Vnde & legimus fratrem quendam in eremo conuerſantem, cùm ad eum carnalis frater auxilij gratia aduentaſſet, reſpondiſſe, vt adiret alterum fratrem eorum, cùm ille vtique obijſſet. Cumque admiratus qui venerat, reſponderet, quia ille obijt: eremita ſe quoq; obijſſe reſpondit. Quid ergo mihi & tibi eſt mulier? Sic & alio loco, cùm ei ſuggereret quidã, quoniã mater eius foris ſtaret cum fratribus ſeu cognatis,

Matt. 3. respondit: Quæ est mater mea,& qui sunt fratres mei? Sic Bernardus. Nunc D. Aug. in medium veniat. Maria, inquit, mater erat carnis, mater infirmitatis propter nos susceptæ. Miraculum autem quod facturus erat, secundum diuinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem. Miraculum ergo quod exigebat mater, diuinum erat. Operaturus igitur diuina, dicit: Quid mihi & tibi est,&c. tanquã diceret: quod in me facit miraculum, tu non genuisti. Non enim genuisti diuinitatem meam. Accedit Augus. Eusebius Emissenus. Quid mihi tecum commune est, nisi hæc caro mortalis? Hæc famem, mortem, sitim ferre potest, miracula facere non potest. Concinit his & Theoph. Quid mihi & tibi: Acsi dicat: Deest vinum, sed quid ad nos pertinet? Oportet eos quibus deest accedere, nõ te matrem. Res suspecta fit, quando rogant domestici. Accedant me alieni. Si quid deest, non imputabitur nobis, sed architriclino. Verùm de hac sententia fusius in adnotatiunculis.

Aug. tract. 8. in Ioan.

Eusebius Emissenus.

Theoph.

Nondum venit hora mea. Theophylactus simpliciter interpretatur: Nondum oportunum idem tempus. Cum Theophylacto stat Chrysostomus. Augustinus cum Eusebio Emisseno intelligit horam passionis, sed hæc interpretatio coactior est. Igitur magis arridet Chrysostomus, vt voluerit dicere Christus: Nondum adest hora illa qua cognoscatur vini defectus, quæ hora oportuna fuit faciendo miraculo.

Dixit autem mater ministris: Quodcunque dixerit vobis facite. Durius sanè Christus visus est respon-

respondisse matri, non quòd eam non vnicè diligeret, qui sic amabat vniuersum hominũ genus: sed vt miraculorum authoritatem ab humanis affectibus assereret. Maria verò facilè cognoscens filij erga se obseruantiam, non offensa duriori responso, nõ diffidẽs de largissima illius bonitate ac virtute, clam accitis ministris monet, vt quicquid iusserit ille, impigrè facessant: cæterùm tempus ac horam rei gerundæ, filio relinquerent. Verùm auditores candidissimi, verbũ istud Mariæ altas in animis nostris agat radices. Quicquid vobis præceperit Iesus, facite. Non ait, quicquid dixerit vobis, audite, sed facite. Profectò facere oportet. Prædicare atque audire nihil sunt, sed facere accedat necessum est. Iactant nonnulli, Audio, doceo, intelligo. Nihil: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Beatus Saluianus lib. 4. de prouidentia, scribit plerosq; Christianorum similes esse porco, aureum in ore habenti annulum, hoc est aureum nomen Christianitatis, & malis id operibus contaminant. Transtulit eam metaphoram ex Salomonis Prouerbijs, vbi ita legimus: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. *Psal. 110.* *Prouer. 11*

Erant autem hydriæ lapideæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Magna apud eruditos de metretis istis digladiatio Et profectò altercatio ferè de asini vmbra est. In confesso autem est, esse vasa aperta & ampla. Budæus ait metretam habere congios decem. Hæret Budæo Iansenius. Hauriunt verò isti quod nobis de *Budæus li. 5. de asse.*
metre-

Dioſcorides lib. 5.

metretis propinăt ex Dioſcoride li. 5. Dioſcorides Græcè ita habet: ἔϛι δὲ ὁ μετρητὴς χόες δέκα, Id eſt, metreta continet congios decem. Congius autem continet ſextarios ſex. Secundum Adrianum Iunium, metreta continet duo lota, vel paulò amplius. Nicolaus Zegerus ait ſe vidiſſe Tongris hydriam quæ cinerei erat coloris, cuius generis ſunt & Coloniæ, quę quatuor pottos ſeu duo lota tenebat. Sed videatur de hac re Gagneius & Ianſenius, quibus auſcultandum puto.

Adrianus Iunius in nomenclatore.

Dicit ergo Ieſus miniſtris, Implete hydrias aqua, & impleuerunt eas vſque ad ſummum. Cùm iam tempus adeſſet, quo votis maternis ſatisfaceret, atque amicorum inopiæ ſuccurreret, mandat miniſtris impleri hydrias. Non mandat vt vinaria vaſcula impleant, ſed aquales illas hydrias pro purificatione Iudęorum ibi ſitas, quas conuiuæ & domeſtici omnes ſciebant præter aquas nihil cõtinuiſſe, vt miraculum eſſet apertius & illuſtrius. Cùm autem ex nihilo vel ſolo verbo vinum creare potuiſſet, miniſtris voluit mandare, vt hydrias aqua implerent, vt ab omni calumnia liberum & remotum eſſet miraculum, ipſiuſque menſæ miniſtros teſtes haberet ſui miraculi. Hinc & poſtea iubet vinum ferre architriclino, qui menſis præfectus erat, vt maior eſſet præclari operis ſolennitas. Nam architriclini, vt ferè ſaporum periti ſunt, ita & ſobrios ferè eſſe videmus, propter ſollicitudinem & curam conuiuij. Is igitur architriclinus maximum ſplendorem addere potuit miraculo. Miniſtri igitur teſtes erant aquam in vinũ conuerſam,

uersam, Architriclinus autem testis erat vinum esse præstantissimum atque optimum.

Dixit ergo Iesus, haurite nunc, & ferte architriclino. O ingens & irrefragabile miraculum, pręcipuè si, vt quidam autumant, aqua fuerit conuersa in vinum rubrum, tum enim & color & sapor eius ineffabili virtute commutatus est. Sic virga Moysis conuersa in serpentem. Sic *Exod. 4.* vxor Loth in petrã. Sed quid miraris ô pusillæ *Genes. 19.* & modicæ fidei, si propter pauculos amicos in nuptijs, vt exhilarentur cõuiuæ, vertit aquam in vinum: Veniet hora quãdo ipse Iesus ad exhilarandam sponsæ suæ mentem, arcana sua virtute versurus est vinum in sanguinem. Qui enim ad patris sui gloriam, & sponsæ suæ amorem omnia creauit ex nihilo, cur non eodem amore suadente quasdam creaturarum potest mutare? Quinque verba enunciat, dicens: *Haurite nunc, & ferte architriclino*, & ecce dicto citius ex aqua fit vinũ. Cur non potest quatuor verbis videlicet, *Hoc est corpus meum*, conuertere panem in carnem suam, & alijs paucis verbis vertere vinum in suum sanguinem?

Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factum, &c. Vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo bonum primo vinum ponit, tunc id quod deterius est. Caupones nostrates nimium callent artem istam, magno animæ suæ damno. Non enim conuiuatorum solùm id vitium est, sed etiam cauponum. Sed quid aiunt, Habemus præscriptionem euangelicam, ante annos mille quingentos. Imò qui inter oinopolas dicaciores sunt ac acutiores, Esaiæ locum nobis

bis

Esa.cap.1. bis obijciunt: Caupones tui miſcent aquam vino. Quid, inquiunt, omnis homo hoc facit, cur nobis non licet idem tentare quod nulli non factitant? Sic ſua ſibi palpat vitia mundus. Verùm multitudo peccantium non præbet patrocinium criminibus. Mundus igitur primo bonum vinum ponit. Nunc myſticè interpretemur, redemptor noſter Ieſus diuerſum à mũdo habet ingenium. Principio electis ſuis felleam quandam propinat & adbibit amaritudinem, demum vinum fundit vſque ad ſummum. Principio inquam capiti ſponſę ſuę componit, plectitque ſpineum diadema, ſpineum ſertum, deinde plectitur corona non modò lilijs, violis, roſiſque odora, ſed margaritis diues, & auro conſpicua. Primo omnibus malis & periculis obijcit ſuos, exploratque eorum virtutem & conſtantiam, deinde non tam gaudio eos perfundit tranquillæ & pacatæ conſcientiæ, quàm
Ioan.15. perpetuitate vitæ. Ioannis 15. ait Saluator: In mundo preſſuram habebitis, in me pacem.
Matth.5. Matth. 5. Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malũ aduerſus vos, mentientes propter me, gaudete & exultate: ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælo. Beati qui nunc fletis, aqua eſt: quia ridebitis, vi-
Ioan.16. nũ eſt. Vos cõtriſtabimini, aqua eſt: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudiũ, vinũ eſt. Viri fratres, hæc vos conſolentur, hæc vos inter aduerſa, & proſpera, & inter grauia omnia corroborent. Nolite cedere malis. Durate & voſmet rebus ſeruate ſecundis. Per tot diſcrimina rerũ tendimus in patriam, ſedes vbi fata quietas oſtẽtat.

Hoc

Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. Hinc patet falſum eſſe & apocryphum libellum de infantia ſaluatoris, qui & in decreto Gelaſij papæ tanquam ab hæreticis in lucem æditus & euulgatus, damnatur. Ait & Theophylactus iſtud miraculum fuiſſe omnium primum. Additur autem: *Theophyl.*

Et manifeſtauit gloriam ſuam. Hoc eſt, gloriam & claritatem potentiæ ſuæ diuinæ. Vnde apertè ſatis monſtratur, quod nullo antea ſigno manifeſtauerit gloriam potentiæ ſuæ. Apertè autem oſtēdit ſe eum eſſe, qui quotannis in vite aquam in vinum conuertit: Amphoræ eius ſunt pampini, nubes ſunt miniſtri qui infundūt, aqua aëris eſt quodammodo futuri vini materia. Dominus autem benedictionis ſuæ gratia rem commutat, & multiplicat. Cæterùm veluti typo quodam nobis hoc primario ſigno ſeu miraculo, adumbrauit nobis Dominus iam tempus & horam appetere, vt pro inſipida ac diluta legis Moſaicæ frigida litera, biberemus aliquando generoſum illud Euangelici ſpiritus vinum, non equidem Moyſe aliquo, ſed ſemetipſo pocillatore & oinochoo. Lex enim Iudæis abſq; Chriſto nō ſolum inſipida & frigida eſt, ſed etiā eam bibētibus exitialis. At muſtum illud euangelicum quo rubeſcunt hydriæ animarum noſtrarum, vitæ cæleſtis amore, nos totos faciunt incaleſcere. Abeat igitur lex timoris, & ſuccedat vis atq; energia Chriſtiani amoris, quo viuificantur, & vegetantur mortalium pectora. Poſtremò D. Bernardus, Theophylactus, *Senſus myſticus euāgelij.*

lactus, & Augustinus tract. 8. in Ioannem suauissimè explicant hoc euangelium de nuptijs spiritualibus. Verùm ab eis petatur. Singulariter verò Augustinus: Habet, inquit, Christus sponsam quam redemit sanguine suo, & cui in pignus dedit spiritū suum. Eruit eam de mácipatu diaboli. Mortuus est propter delicta eius, resurrexit propter iustificationem eius. Quis offerat tanta sponsæ suæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides preciosos, equos, mácipia, fundos, nūquid aliquis offerat sanguinem suum? Imò si sponsæ suæ sanguinē dederit, non erit qui ducat vxorem.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Ioannes Gagneius notat oppidum Chana esse in tribu Aser, quinq; distans miliarijs à Ptolomayde, vnde & oriundus Nathanael, vbi adhuc ostenditur illud nuptiarum nobilium nobile triclinium. Hæc ad tropologiam pertinent.

2.

Discipulos Christi cùm audimus ad nuptias inuitatos, non iam discipulos fuisse, sed qui futuri postea erant, intelligere debemus. Iam enim discipuli erant, quando ista conscripta sunt. Illo ergo modo locutionis hoc dictū est, quo loquimur, cùm dicimus Apostolum Paulum in Tarso Ciliciæ natum, neque enim tum erat Apostolus, quando ibi natus est. Hæc Aug. lib. 2. de consensu Euág. ca. 17.

Aug. lib. 2 de consensu cap. 17.

3.

Quæritur quare non fuit vocatus Ioseph ad has nuptias, cùm eius coniunx Maria adfuerit? Soluit quæstionis nodum Epiphanius hæresi 78. qui dicit eum tum obijsse.

Epiphanius hæresi 78.

Quid

4.

Quid mihi & tibi. Græcè est τί ἐμοὶ καὶ σοι, Dominus R. Iansenius vult hoc Christi responsum secūdum phrasim Græcam, sicut & Matthæi 8. vociferabantur dæmones: Quid nobis & tibi fili Dauid? Hoc est quid rei est nobis tecum? Et cap. 27. Nihil tibi & iusto illi, hoc est, nihil tibi rei est cum iusto illo. Sic etiam hic: Quid mihi tecum est commune? Similem phrasim habent Hebræi vnde Græci videntur esse mutuati. 2. Reg. 16. Quid mihi & vobis filij Saruię? Et 4. Reg. 9. mittit Ioram rex nuncium ad Iehu, qui ait: Nunquid pax est Ihehu? Respondit Ihehu: quid tibi & paci? Id est, quid tibi commune cum pace? *Matth. 8.* *Matth. 27.* *2. Reg. 16.* *4. Reg. 9.*

5.

Triclinium locus est, in quo veteres cœnare solebant in lecto accumbētes, dictum à tribus lectis. Nā Græcis κλίνη lectus dicitur. Architriclinū ergo appellamus, quasi principem & præfectū conuiuij.

6.

Nemo existimet, quia tantopere in commentario præsentis euangelij laudauerim matrimonium, me illud virginitati præferre voluisse. Absit hoc. Sequimur enim lubenter Hieronymum, qui ait: Virginitas triticum est, matrimonium hordeum. Vnde nonnunquam substomachari mecum soleo in sciolos illos & ineptos iniquosq; censores, qui quòd apud Chrysostomum, Erasmum, & Ludouicum Viuem multis laudibus cohonestatum celebratumq; vident coniugium, mox sacerdotes omnes ad matrimonij capistrum adigere volunt. Et vt ita velint, auctor illis fuit Claudius ille Nero Romanus Imperator, qui cùm tyrannus esset, ac spurcissimis libidinū variarum (quippe qui ne à sorore quidem abstinuit) volutabris innataret, propalam dictare audebat impossibile esse, vt adolescens aut puella, modò veneri per ætatem sint apti, à venere abstinere possit. Sed quomodo inquies, Nero qui

tot ante sæculis manu vsus propria animam potius eiecit quàm expirauit? Respondeo tribus verbis. Surrexit opinor Nero ille per Pythagoricam transmigrationem, in huius nostri temporis hæreticorum patriarcha, qui nescio quo hausto spiritu, Neronianum vexillum hoc refixit erexitq́, sub quod cùm vndique concurrant tot libidinum fratres, tot impudicitiæ sorores, nouam nobis canunt cantilenam, non virginibus modò, verùm etiam honestis omnibus coniugibus detestatam, neminem mortalium continere posse non minus, quàm non comedere aut bibere. Quod si verum est, cōsequitur planè nihil esse stultius, nihil absurdius, addam nihil quoque naturę legibus repugnantius, quàm vouere continentiam. O nouam & ante non auditam physicam, imò blasphemiam potius, & dogma ferro igniq́, donec penitus aboleatur, prosequēdum. An ne hoc est nō dico fenestram, sed latissimam potius ianuam aperire libidinibus, ac frena laxare suapte natura in luxuriem præcipiti iuuentuti?

DOMINICA SECVNDA POST OCTAVAS EPIPHANIAE,

Euangelium, Matth. cap. 8.

CVM *descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniēs adorauit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* Docuerat Iesus in monte rara quædam mysteria, quibus ad salutem æternam capescendam suis discipulis strauit iter. Cùm enim Philosophi olim humani ingenij dotibus pulchrè exornati & prædití, de beatitudine ac hominis vltimo fine plurima docuissent & dixissent, scopum attingere non potuerūt: dum alij in scientia, alij in virtute animi, alij in alijs rebus, sitam esse fœlicitatem asseruissent. Imò tantum abest vt vbi

vt vbi ea ſit, dicere potuerint, vt etiam ne viam quidem quæ nos eo perducit, ſatis vel cognoſcere, vel alijs tradere valerent. Chriſtus igitur æterni patris æterna ſapientia, Apoſtolis quos ſeorſum in montem ſecum ſubuexerat, atque adeò ipſi etiam turbę rem omnem aperuit: clariſsimeq́ue commonſtrauit qua via, vel methodo ad ſupremam illam metam, ac bonorũ omnium finem vltimum à fidelibus iretur. Cùm verò iam relicto monte in planiciem veniſſet, hinc atque hinc variæ eum cateruæ cingere cœperunt. Numeroſo igitur theatro congregato, cùm infirmi varij ſe in conſpectum dediſſent, ecce ante omnes ſe agebat vir quiſpiam, ſordida vndiq; lepra perfuſus. Ita nimirum decebat, vt in tanta hominum turba, aliquis miraculi occaſionem præberet, ac Ieſu oculos in ſe conuerteret. Sed quo ornatu, quo ſchemate prodijt leproſus hic in medium? De veſtium genere nihil opus eſt dicere: quid enim veſtes ad doctrinam euangelicam? Matthæus ait eum primo occurſu adoraſſe medicum Ieſum; Marcus in genua procubuiſſe, genu flexo, inquit, Sic *Marc. 1.* ſe obtulit olim reduci regi Dauidi ad Iordanẽ *2. Reg. 19.* rebellionis lepra toto animo & maledicentiæ morbo infectus, Semei, qui adorãs ac in puluere deuolutus regis iram deprecabatur. Theophyl. *Theophyl.* ait, hominem fuiſſe admodum ciuilem, qui ne turbaret concionem, in montẽ ad Ieſum aſcendere noluerit. Quidni (inquit Chryſoſtomus) *Chryſoſt.* genua flectat, vt ſpirituali medico ſpiritualem adferat mercedem? Terreni medici terrena capiuntur mercede: at cæleſtis ille medicus Ieſus

animi ſeſe vltro deijcientis ac demittentis poſtulat modeſtiã,& vbi ſanaũerit gratitudinem. Pertinax morbus eſt lepra, aduerſus omnia medicorum vel remedia, vel vnctiones, vel pharmaca contumax. Imò in hoc curando Galeni, Hippocratis, ac Cornelij Celſi induſtria fatiſceret. Vni Ieſu hic morbus curabilis eſt, quem ſi ad animum referas,& peccatum lepræ nomine inſignire velis, vni etiam Ieſu medicorum omnium principi, & vt Græci aiunt, archiatro, cedit. Sed oportet genua flectere, & malum oſtendere. Non eſt leproſus hic turbam veritus, cui ſe execrabilem non ignorabat, pudorem enim vicit neceſsitas: Ieſuque beneuolentia omnibus ſe accedentibus expoſita animum ei porrigebat. Admiſit igitur fœdiſsimum hominem ad genua ſibi accidentem. Quid hic faceret ſuperciliosus Phariſęus? Clamaret (opinor) Submouete mihi deteſtabilem hunc, ne oculos meos inficiat, ne naribus noſtris afflet virus, pβij/pβij/illepidum,& impurũ hominem, abeat in malam rem potius quàm nos contingat. Huiuſmodi nauſeabũdi ac faſtidioſi hominis ingenium pręluſit nobis olim Giezi, qui, 4. Reg. 4. Sunamiten illam ad Elizæi pedes ſe deuoluẽtem ſubmouere eſt conatus: Sed quid hic Elizæus? Increpuit inurbanum, & inciuilem

4. Reg. 4. ſeruulum. Dimitte, inquit, illã, quia anima eius in amaritudine eſt. Quid igitur noſter Eliſæus Ieſus? Non propellit à conſpectu ſuo, non propellit à genibus ſupplicem. Sed nunc audiamus verba leproſi noſtri, an ea aliquid ſordidum, aut contagium aliquod in ſe claudant, an ex animo

ſordido

ſordido an candido & puro proficiſcantur.

Domine ſi vis, potes me mundare. Non ait, ſi rogaueris Deum, aut ſi hæc vel illa feceris, ſed, ſi tantum vis, potes me mundare. Agnoſcit poteſtatem curandi in illius voluntate conſiſtere, & idcirco nemo errauerit, ſi dixerit hunc hominem credere Ieſum eſſe filium Dei, & verum Meſsiam. Nihil verò oſcitanter leproſi verba expendentibus, poſtulaſſe omninò videbitur, ſed ſolùm agnouiſſe potentiæ magnitudinem. Verùm abſterſa verborum ſuperficie, ac luſtrata medulla, inuenies modeſtiſsimam pariter, ac ardētiſsimam eius hominis fuiſſe precationem. Et meo iudicio, tacita precatio plurimum habebat efficaciæ, & viuæ energiæ: imò gratior & gratioſior fuit, quàm ſi multis & fortè ſuperuacaneis fuiſſet contexta verbis. Quid? Illa ſororum Lazari tacita & pudibunda precatio, quātæ exiſtimatis fuiſſe virtutis? Miſerunt (ait Euangeliſta) ad Ieſum cum his verbis: Domine quem amas, infirmatur. Morbum igitur agnoſcit miſer: ſed iam non miſer, quia in conſpectu medici & curare potentis, & volentis iacebat, agnoſcit morbum primo. Deinde de medici potentia nihil addubitat, de ſe verò an tanto ſit dignus beneficio, ſollicitus eſt. Iudicium verò omne (quod non exiguæ prudentiæ fuit) medico defert prudentiſsimo, gratias acturus vberes, ſi cōſequatur quod poſcit, non obmurmuraturus ſi negetur. Qui voluntatem, ait Hieronymus, rogat, de virtute non dubitat. Magnam, ait Theoph. prȩfert fidem, dum eum agnoſcit filium eſſe Dei. Sciebat (inquit Chryſoſtomus)

Ioan. 11.

Hieron in Matth.

ſoſtomus, leproſus iſte ſcaturientem beneficentiam, ſciebat emanantem ſalutem: & cùm eſſet carne quidem leproſus, non fuit diſcolor illius anima. Arbitratur itaque Chryſoſtomus virum fuiſſe bonum, alioqui neq; tam prudenter rogaſſet, neque tam humiliter ac modeſtè genua humi fixiſſet.

Chryſoſ. in illud Pſal. Cùm ſubiecerit ei omnia.

Domine ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Ieſus boni paſtoris exhibens imaginem, delectatus hominis fide, cum tanta modeſtia coniuncta, qui non auſus ſit petere vt mundaretur. Nō eſt igitur hominem auerſatus vt impurum, ſed porrecta manu tetigit. Ianſenius piè arbitratur Euangeliſtas tam ſtudioſè meminiſſe extenſionis manus ac contactus, vt ſignificarent extenſionem manuum eius in cruce, qua extenſione vtrumque populum Iudaicum & gentilem complexus eſt, non aliter atque Iacob olim impertiturus benedictionē, Ephraim & Manaſſen ſub brachiorum ſuorum complexu conſtrinxit. O quam virtutem non oſtendit Ieſus (ait Paulus à Palatio) quando cornua in manibus eius, quādo incredibili virtute & potentia ſanguinis ſui, pelago leproſas animas abluit, & crudelem Pharaonē demerſit? Quid quod noſtrum hunc medicum noſtrum, leproſum prius fieri decuit, vt ita leproſos nos emūdaret? Eſaiæ 53. Hic etiam in primis obſeruandum eſt: Dominum non violaſſe legem, dum manu leproſum contingeret. Nam lex eos ligabat, qui ex tali contactu infici poterant, quod ſanè medico noſtro periculum non fuit. Imò

Reu. Ianſenius.
Geneſ. 48.
Paulus à Palatio.
Abac. vlt.
Exod. 15.
Eſa. 53.

potius

potius(vt ſcribit Theophil.)tactu ſuo Chriſtus polluta mundat, atque impuris, purus ipſe ſi tangat puritatem elargitur. Sancta enim caro eius etiam attingendo, ſanctitatem ſuam communicat. Quod vtinam animaduerterent omnes, qui rarius ad ſacram accedunt ſynaxim, quantum ſibi damnum conciliant, quanto & fructu ſemet vltro fraudent. Sed nũc verba eius audiamus.

Volo. Mundare. Cùm Chriſtus ex intimis animi medullis ait, Volo: mirificè deiectos mortalium animos ſubrigit, ſeu ſubleuat. Quis enim dubitet ſecuturam potentiam, vbi voluntas præceſſerit? Marcus ait, quòd Ieſus fuerit eius hominis miſertus. Vide, ait Chryſoſtomus, quantum diſcrimen inter veterem legem, nouamque gratiam. Moyſes monte deſcendens, è caſtris ſubmouit leproſos: Chriſtus è monte deſcendens non abijcit leproſum, ſed mundat, atque ad ſe trahit. Ille deſcendit vt eliminaret, iſte vt mũdaret. Neque hoc verbum, *Volo*, propter hunc leproſum ſolum deprompſit, ſed vt omnium noſtrum ſuccurrat confidentiæ: vt certiſsimi ſimus Chriſtũ velle ſeruare & mundare nos, ſi nobis ipſis non deſimus, pręſtemuſque ea quæ ægrorum ſunt talium, qui ex animo cupiunt & expectant ſanitatem. Intimis igitur præcordijs recõdas hoc verbum, *Volo*. Id enim eriget non mediocriter, atque accendet tuam erga medicũ dilectionem. Aſpice temetipſum ô miſer, vide in quam ſordium cloacam te demerſeris: aperi medico in animo concretas lepræ ſpiritualis aſpergines, retege ſanaturo, &

Marc. 1.
Chryſ. loco proximè citato.

 tacituro

tacituro plagas omnes quálibet occultas, quálibet pudédas. Precare vt imponat manus suas, ac medici sanguinem pœnitenti instillet. Quid tergiuersaris? Quid procrastinas, quid differs salutem? Medicus vult, & æger non vult? Medicus cupit, & æger rennuit? Pater cupit in tuos ruere amplexus, ac oscula reconciliationis figere, & malesuadus filius cum porcis optat adhuc esurire? Via se sternit, & perfidus erro non cogitat redire? Sponsus reuocat, & profugæ sponsæ lubet adhuc vitam & animam prostituere dæmonibus? Qua obsecro venia hęc sunt

Hiere. 29. digna? Mediator noster cogitat cogitationes pacis & non afflictionis, & tu cogitas adhuc de pascendis porcis, de pascendis hœdis? Ille ait:

Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, & tu properas mori.

Et confestim mundata est lepra eius. Verbo scilicet & tactu peractis, sequitur sanitas. Vt enim carnem suam ostenderet viuificam, noluit solo verbo curare. Quemadmodum enim in ferro ignito, non solùm ignis adurit, sed & ferrum ipsum, cuius poris ignea vis inhærescit: sic & in Christo non solùm diuinitas ipsa operatur, ve-

3 parte. q. 48. arti. 3. rùm & humanitas quoque. D. Thomas Aquinas tertia parte, ita ait: Ex eo quòd caro Christi erat sine peccato, efficax fuit ad emundanda peccata. Deinde quia erat caro Christi offerentis, propter eximiam offerẽtis charitatem, erat summè efficax. Vide Augustinũ lib. 4. de Trinit. cap. 14. Quid tam congruenter, inquit, ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? Et quid tam mun-

mundum pro mūdandis vitijs mortaliū, quàm ſine vlla cōtagione carnalis cōcupiſcentiæ caro nata in vtero, & vtero virginali? Et quid tā gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri? Ioannes Damaſcenus appellat corpus Chriſti viuum carbonem, qui exurat omnia peccata noſtra. Sed verba eius audiamus: Manus in crucis modum formātes, crucifixi corpus accipiamus, & apponentes oculos, & labia, & frontem, diuinum carbonem accipiamus, vt ignis in nobis deſiderij aſſumens ex eo carbone ignitionem, comburat peccata noſtra, & illuminet corda noſtra, & participationē diuini ignis πυρωθῶμεν, ϗ θεωθῶμεν, hoc eſt, accendamur & deificemur. Videtis auditores, quantæ efficaciæ & virtutis ſit Chriſti corpus ſeu caro, quomodo nō ſolum inflammet, & accendat contingentes ſe, verùm etiam deiformes efficiat. Non eſt verò mirum, quòd hanc lepram corporalem confeſtim auferat, cùm tollat (quod longè eſt operoſius) etiam ſpiritualem?

Io. Damaſ. li. 4. ca. 14.

Et ait illi Jeſus: vide nemini dixeris. Sed quid hoc eſt? Si cælum enarrat gloriam Dei, & ſi tacentibus hominibus etiam lapides celebraturi ſunt Chriſti virtutem & magnificētiam, nónne rationi omnino eſt conſonum, vt ab eo beneficentia aliqua inſigni donati gratitudinis ergo, eum collaudent ac prædicent? Non prohibuit Chriſto miraculum hoc tam eximium ad Dei gloriam effari, ac paſsim depromere, & in vulgus ſpargere. Imò Marcus cap. 1. ait, quod ſanatus leproſus, ſtatim euulgauit factum, adeò

Marci. 1.

 vt con-

vt concurrentibus turbis, vix potuerit Iesus ingredi ciuitatẽ. Cur igitur iussit sileri Dominus, quod euulgari voluit? nimirum, vt nos moneret ex benefactis nostris, quæ Deus per nos operatur, non esse apud homines quærendam gloriã: quod ea & amplior & speciosior sequatur fugitantem, ac veluti despuẽtem, non aliter atque corpus nostrũ insequitur vmbra, si abeamus: si verò persequamur vmbrãm, ipsa fugit atque abit. Christo sanè non erat ab inani gloria periculum, sed nobis, quibus plurimum hinc est discriminis. Hoc exemplum parabatur.

Sed vade, ostende te sacerdoti: & offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.

Leuit. 14. Mundatis à lepra, Moyses Leuit. 14. præcepit, vt primo offerrent die, duos passeres, & sequẽti octauo die, duos agnos. Legem Christus obseruari volebat, quia illa, vt sacrificia veteris testamenti, cùm Christus nondum esset mortuus obligabat. Vides igitur hic Christum legẽ suo *Hieron.* facto probasse. D. Hieronymus ostendit, tribus de causis leprosos à Christo missos ad sacerdotes. Prima est, vt sacerdotio suus honos haberetur. Secũda, ne legem Mosaicam omnino abrogare velle videretur. Tertia, vt sacerdotes eius potentiã & virtutem cõspicati, fidei quam prædicabat, colla subderent, ac ita salui fierent.

Aug. lib. 2 quæst. euã. D. Aug. lib. 2. quæst. euangel. quæst. 40. ait, nõ alios infirmos, sed leprosos tantum ad sacerdotes missos: quia leprosi, inquit, significant nobis hæreticos, vel eos quorum doctrina non satis est explorata. Itaque de fide & doctrina iudicium ad sacerdotes spectat. Hinc Paulus

voce

voce Domini audita in nubibus, ad Ananiam *Act. 9.*
mittitur, vt ab illo ſacerdotio quod in eccleſia conſtitutum fuit, verus eius approbaretur color. Sic Galat. cap. 2. aſcendit cum Barnaba & *Galat. 2.*
Tito Hieroſolymam, & cum Petro & alijs cõtulit euangelij ſui prædicationem, ne inquit, fruſtra currerem aut cucuriſſem. Sic Cornelius *Act. 10.*
mittitur ad Petrum, licet eius eleemoſynæ eſſent Deo acceptæ. Hactenus Auguſt. At nunc imperiti rerum quidam neoterici ad reges & reginas, atque adeo ad magiſtratum prophanũ, fidei, & doctrinæ iudicium deferri volunt. Alij ad vulgus, rude ſuapte natura, & tumultuoſum, quaſi vulgus de ſpeciebus le[illegible] iudicare poſsit. Profectò vulgus, non magis poteſt iudicare de doctrina, quàm aſinus de muſica, amuſus enim ille eſt. Notus eſt apologus, in quo luſcinia, & cuculus de canendi ſuauitate & modulatione, inter ſe certabant. Fortè fortuna tranſibat aſinus, qui conſpicatus certamen cõtractum eſſe cruentum, & acerrimum, reſtitit: Is à partibus delectus iudex, vt prompto, & luculento ingenio, contra luſciniam pronunciauit, cuculoque palmã tribuit. Oportebat ſanè nouatores iſtos Deut. cap. 17. legere, vbi ita ſcribitur. Si ambi- *Deut. 17.*
guum & difficilè iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguiné, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas variari: ſurge & aſcende ad locum, quem Dominus elegerit, veniesq́; ad ſacerdotes Leuitici generis. Neque minus clarum teſtimonium Deut. 31. ſcripſit Moſes legem, & tradidit eam *Deut. 31.*
ſacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœde-

fœderis Domini. Videtis obſecro auditores optimi, qui in rebus ad religionẽ pertinentibus debeant eſſe iudices. Et exorietur nobis literator quiſpiam, aut magiſtellus ad focum, aut colum promotus, qui grandi ſupercilio promittet ſe docere quod non didicit: & liberum cuique faciet ex infima plebe conſcendendi cathedrã, occupãdi ſuggeſtum, & docendi populũ quod

Nazian. li. 1. Theolog. neſciat? Sed Nazianz. li. 1. de Theologia audiamus. Nõ eſt ô viri cuiuſlibet de Deo diſputare, Dei quidem meminiſſe per me licet cuique, at non etiam de Deo diſputare. Num omnes prophetæ, num omnes Apoſtoli? Non erat tam bardus & ſtupi[illegible] Herodes, tametſi rex eſſet, vt de puero nouo quicquã vel dicere, vel iudicare vellet, ſed accerſiuit Sacerdotes & Phari-

Matth. 2. ſæos, & diligẽter inquirebat vbi Ieſus naſceretur: & cùm illi iudicaſſent in Bethlehem naſciturum, mox fidem & honorẽ habens iudicio, circa Bethlehem cædem teterrimam exercuit.

Cùm autem introiſſet Ieſus Capernaum, acceſsit ad eum Centurio, rogans eum & dicens: Puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur.

Auctor operis imperfecti. D. Chryſoſt. ſi is eſt auctor, appellat hunc Centurionem virum perfectum, ac primum fructũ ex gentibus. O terra noſtra, ait, cum magno plauſu, ô terra noſtra dat fructũ ſuum poſt rorem cælo demiſſum. Talis ac tãtus hic vir erat, tam ſpectatæ tamque conſpicuæ fidei, vt ferè Iudæorum fides ſi conferatur, infidelitas cenſeri poſſet. Sed qualis hic Centurionis famulus fuit? Certè bonus & frugi. Lucas enim ait, quòd fuerit ei precioſus. Græcè eſt ἔντιμος, charus

rus,& herum in precio habitus: nimirum quòd liberaliter & alacriter illi seruiebat, quæ omnino causa fuit, quòd Centurio eum indulgenter, si quem alium habuit. Ecclesi. 33. Si tibi seruus est fidelis, sit tibi quasi anima tua, & quasi fratrem, sic tracta eum: & cap. 7. Seruus sensatus sit tibi dilectus. Seneca philosophus, grauiter reprehendit eos, qui verbum hoc perpetuo iactát, tot domi hostes, quot seruos. Non hostes, inquit, habemus, sed facimus, dum magis timeri quàm coli volumus: dum eis haud aliter atq; iumentis vtimur, ac immoderatè imperamus. Arcano opinor etiam Dei consilio factum est, vt clari olim & pij viri fuerint serui, ob id credo ne facilè seruos nostros contemnamus ac aspernemur. Quid Ioseph filio Iacob, vel vita, vel continentia, vel morum innocentia fuit incorruptius? Hic tamē Putiphari seruijt in Ægypto. Seruijt in Babylone Daniel: seruierunt & tres illi adolescentes, quorum fidem nec ignis quidem lædere potuit. Age si externa licet attingere, nónne Socrates omnium Philosophorum Deus, in seruum est venum propositus, & à Xeniade emptus, eò quòd liberis, & ingenuis nosset imperare? Auctor est Gellius li. 2. ca. 18. Sed hæc de seruis plus satis. Centurio hic multos potest confundere Christianos, qui non alio loco habent seruos suos, quā canes aut iumēta, quos etiam ad minimam morbi occasionē edibus exigunt. At aiunt: conduximus vt seruirēt, non vt ægrotarent. Pessime & irreligiose here, hoccine est seruum curare, vt hominem, vt fratrem? Imò canes & equos plus curas, qui si quid mor-

Ecclesi. 33. & 7.

Seneca epistola 47.

Genes. 37.

Daniel. 1.

morbi contraxerint, numerata pecunia curare pergis. O inhumanitatem, ne dicam crudelitatem, tuis sordibus, vel tergendis, vel egerendis nactus est quicquid habet morbi, & hunc potes eijcere? At non talis in famulos suos Abraham fuit, qui & vernaculorum, & seruorum exactam habuit curam. Scribit D.

1. Tim. 5. Paulus 1. Timoth. cap. 5. Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quid enim dubitamus (ait Philo) seruos & dominos communi charitatis vinculo colligari? Breuiter. Quis liber, qui tandem seruus esse non queat? Nescis qua ætate Hecuba seruire cœpit, qua Crœsus, qua Darij mater? Quis oro rex Crœso ditior, quæ regina matre Darij, ac Hecuba Priami coniuge potentior: Et hi tamen alternante fortuna, ad indignissimam seruitutis sortem à summo fastigio sunt deiecti. Nunc etiam de irreligiosis heris plusquam satis, si Macrobium citauero lib. 1. Saturnalium cap. 10. Tibi, inquit, vnde in seruos tantum & tam immane fastidium? quasi non ex eisdem alantur & constent alimentis, eundemque spiritum & ab eodem principio carpant?

Philo lib. de specialibus legibus

Macrobius li. 1. Saturnal. ca. 10.

Et ait illi Iesus: ego veniam & curabo eum. O medicum promptissimum & expositissimum. Veniam, inquit, & curabo, Non hoc Iesus iactanter dicit, sed amanter & prudenter, vt fides fiat illustrior. Quanta Christi dignatio, quòd ad ethnicũ seruũ velit accedere? Iste medicus nullum cõtemnit hominẽ. Elisæus misit famulum suum Giezi, at Iesus noster ipse vult accedere.

Et

Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Magnam fidem deinde & magnam modestiam coniunctam deuotioni & feruori ostendit August. sermo. 6. de verbis Domini. Dicendo se indignum, se dignũ præstitit, non intra cuius parietes, sed in cuius cor veniret Dominus. Neque hoc diceret tanta cum fide & humilitate, nisi illum quem timebat intrare domũ suã, corde gestaret. Nam non erat magna fœlicitas, si Dominus intraret domum eius, & non esset in pectore eius. Magister humilitatis discubuit in domo cuiusdam Pharisæi superbi, & cùm discumberet in domo eius, non erat in corde eius. Zachæus autem suscepit Dominum corpore & pectore.

Aug. ser. 6. de verbis Domini.

Luc. 7.

Luc. 19.

Domine non sum dignus. Origenes: Miles sum, alienigena sum, & gladio cinctus sanguinem fundo, idcirco non sum dignus. Non putasti Dauidem dignum, qui domum tibi erigeret, eò quòd sanguinem funderet.

Sed solum dic verbo, & sanabitur puer meus. Hebraica est phrasis. Dic verbo, pro eo quod est impera. Matthæus habet εἰπὲ λόγον, dic verbũ. Lucas autem: εἰπὲ λόγῳ. dic verbo. Vult igitur dicere Centurio: Quid opus est venire sub tectum meum, da nobis verbum vnum, & satis erit ad mille morborum species. Quid ni cum verbo olim cælum & terram condideris? Potes hic Domine consistere, & verbum vnum proloqui, & supra mille miliaria operari.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alio veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.

Valdè

Valdè ciuiliter loquitur Centurio. Vult enim dicere: O Domine facilè ex me colligo tuam virtutem. Ego enim nil aliud quàm purus homo ſum. Imò neque meus ſum, habeo enim qui mihi dominentur, ſcilicet Tiberius Imperator, rex Herodes, & præſes Pilatus, qui mihi præcepta dictant ſua. Habeo nihilominus qui mihi ſunt ſubditi, quorũ nullus tam proteruus eſt aut contumax, quin ad nutum obedient & facient imperata. Neq; me oportet obire omnia quæ occurrunt negotia, ſed vtor aliquoties militum meorum, ac famulorum opera. Quanto igitur tu potius per tuos famulos potes perficere omnia, vt non opus ſit ad me venire? Euthymius in hunc locum, ita ait: Si dixeris Domine, morti aut infirmitati vt abeat, abibit: ſi iuſſeris vt maneat, manebit. Nam mors ancilla tua eſt. Cùm Euthymio ſentit etiã Theophylactus, & ait, corporales Dei eſſe milites, imò & vltores eius.

Euthym.

Theophil.

Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe turbis dixit: Amen dico tibi, non inueni talem fidem in Iſraël. Dicitur Ieſus admiratus, quia ad inſtar mirantis ſe habuit, vultum videlicet ad ſtuporem & admirationem componendo. Diuus Thomas Aquinas ait: quòd admiratio ſit de re aliqua noua & inſolita. In Chriſto autem non potuit eſſe nouum & inſolitum, neq; quantum ad ſcientiam diuinam, neque quantũ ad humanam, quia cognoſcit res in verbo. Potuit tamen ei eſſe quid nouum, ſecundum ſcientiam experimentalem, ſecundum quã poterant ei quotidie noua aliqua occurrere. Aſſumpſit

D. Tho 3. part q. 15. art 8.

verò

verò hunc defectum ad nostram instructionem, vt doceat esse mirandum quod ipse miratur, quod August. docet lib. 1. contra Manichæos super Genes. *Aug. in Genes. contra Manich. li. 1.*

Dico autem vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbēt cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cælorum. Hic apertissimè ostenditur vocatio gentium ab extremis terræ. Id pulchrè vaticinio quoque suo declarat Esaias propheta cap. 43. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni da, & Austro noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filios meos ab extremo terræ. Ita quoque interpretatur Cyprianus hanc sententiam, monens interim Christianos, ne excidant à vocatione & regno cælesti. Filij regni, Iudæi erant, quamdiu filij Dei esse perseuerabant, postquam verò cessauit circa eos nomen paternum, cessauit & regnū. Ideò nos Christiani, qui appellare Deum patrem cœpimus, vt regnum eius nobis adueniat, oramus. D. Ioannes Chrysostomus, idem ex hac sententia Christi colligit ex gentibus ecclesiam congregandam, & à regno cælorum Iudæos excludendos. D. Aug. lib. de vnitate ecclesiæ cap. 13. & Eusebius Emissenus idem docent. Luculenter admodum eadem de re Chrys. homilia 27. in Matthæum. Ioannes, inquit, Baptista antequam hæc fierent, dicebat: Potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Non igitur nimium confidant qui stant, sed secum crebrò illud reputent, Qui se existimat stare, videat ne cadat, 1. Corint. 10. *Cyprian. in tractatu in orationem dominicā. Chrysost. Aug. lib. de vnitate ecclesiæ ca. 13. Euseb. Emissenus. Matth. 3. 1 Cor. 10.*

 nec

nec desperent qui ceciderunt, sed crebrò secum
Psal. 40. dicant: qui cecidit, non adijciet vt resurgat?

Filij autem regni, eijcientur foras, in tenebras exteriores. Quomodo verò id fiet? Aug. id declarat:
Aug. tract. 16. in Ioã. Radix (ait) oliuæ est in Abraham, Isaac & Iacob. Hæc radix manet, hæc radix laudatur. Sed rami superbi sunt, idcirco præcidi, & arescere meruerunt. Audi quomodo præcidãtur, & quomodo inseratur oleaster ex ipso Centurione. Dico vobis, multi veniẽt ab Oriẽte, &c. Quàm latè terram occupauit oleaster. Amara sylua mundus hic fuit, quid de illis fiet, qui venient de sylua? vbi sunt inserendi ne arescant? Audi, Recumbent cum Abraham, &c. Sed quid fiet de ijs, qui venerunt ex radice Abraham? Excidentur vt isti inserantur. Doce quia præcidentur. Audi: filij regni eijcientur in tenebras exteriores.

Vbi erit fletus & stridor dentium. Ne in tenebras exteriores proiecti putarentur hoc solo affligendi tormento, quòd in loco tenebroso ia-
Haymo. cerent, adiecit, ibi erit fletus, &c. Haymo post Hieronymum intelligit duplicem inferni pœnam, videlicet ignis per fumum fletum producentis, & nimij frigoris dentium stridorem afferentis. Cui geminæ pœnæ adfertur illud Iob.
Iob 24. Ad calorem nimium transit ab aquis niuium,
Hieron. in Mat. ca. 10 circa quem locum Hieronym. Quasi duas gehennas sanctus Iob mihi dicere videtur, ignis & frigoris. Vide Hieronymum in 10. caput
Ambros. ser. 39. Matth. Operæpretium & Ambros. hic audire, serm. 39. Dic mihi delicate Christiane, qui æstum solis ieiunando ferre non potes, nũquid æstus

æſtus torrentior eſt gehenna? Dicis & hyemis tempore, algorem ferre non poſſum, eſcis igitur calefieri nos oportet. Nunquid hyems cui retrudendus es, horridior eſt tenebris? ſtridor hiberni temporis erit in illis tenebris. Ergo ſicut penetrante algore hyemis totum corpus contremiſcit, ita interueniente conſcientia frigida delictorum, graui peccatores dētium ſtridore concutientur. Nunc Chryſoſtomum de reparatione lapſi libello audiamus. Ibi, inquit, quid agemus? nihil ibi erit niſi dentium ſtridor, niſi vlulatus & fletus, & ſæra pœnitentia. Nihil occurret oculis noſtris, niſi ſoli pœnarum miniſtri, & facies dira tortorũ: & quod eſt omnium teterrimum, nec aëris quidem vllum erit ſolatium, aut lucis. Circundabunt enim pœnarum loca tenebræ exteriores, & ignis ille flammeus qui ſicut naturam non habet cõſolandi, ita nec illuminandi, ſed & ignis obſcurus & flamma tenebroſa eſt. *Chryſoſ. de repar. lapſi*

Dixit autem Centurioni, vade, & ſicut credidiſti fiat tibi, & ſanatus eſt puer eius ex illa hora. Sic alijs pleriſq; reſpondit Dominus, volēs indicare fidei vim & efficaciam apud Deũ. Sicut credidiſti, inquit, nimirũ declarans ſanitatē nõ tribui nec generi, nec opibus, nec fortitudini bellicæ, ſed virtutibus, quarum fides ferè radix eſt, quã & in pleriſq; Iudæis Chriſtus deſiderauit. Dictũ ſequuta res eſt. Siquidē compertũ eſt eodē tēpore Centurionis ſeruum fuiſſe morbo liberatũ, ne quis ſuſpicari poſsit caſu, aut medicorũ ope factũ. Nam vt ſubito liberatur à lepra, ſic nec paralyſis ſtatim quenquam relinquit.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Varij scrupuli hic nascuntur. Sunt qui putant turbam audisse sermonem de beatitudinibus. Sed videatur Iansenius concordantia 44. Constat hoc miraculum leprosi mundati contigisse in ciuitate
Luc. ca 5. quadam, quod apertè ostendit Lucas cap. 5. Sed obijciet quis: Leprosi, vt ostenditur Leuit. 13. debebant extra ciuitatem degere. Respōdeo quod id quidem verum est, quo ad habitationem, poterant tamē in ciuitatem venire propter negotia, & transeundo. Nam & nūc vrbibus excluduntur, non lege aliqua ita iubente, nam lex ea Leuit. cæremonialis erat. Recepit tamen eam legem populus Christianus, eò quòd cōmuni Reipub. bono sit vtilis. Consuetudine enim potius quàm lege excludi leprosos, habes cap. 1. de coniugio leprosorum.

2.

Volo. Mundare. Hic mundare est imperatiui modi, καθαρίσθητι, Id est, mundus esto. Itaque duabus illis dictionibus, Dominus Iesus potentiam & bonitatem suam declarat.

3.

Vide nemini dixeris, Sed vade ostende te sacerd. Sunt qui putant quòd Dominus tantisper leprosum hunc tacere voluerit, quoad se ostendisset se sacerdotibus. Hilarius autem de contactu silentium impositum intelligit.

4.

Puer meus. Cùm Græcè sit παῖς, quæ vox filium significat & famulū: sic apud Latinos dictio, puer, vtrunque significat: posset hic difficultas nonnulla
Luca 7. exoriri, nisi succurreret nobis Lucas ca. 7. qui apertè dicit seruum fuisse.

5.

Accessit ad eum Centurio. Lucas cap. 7. dicit seniores venisse ad Christum. Intelligere igitur debemus

Centu-

Centurionem per alios accessisse Christum. Vide August. lib. 2. de consensu cap. 20.

6.

Non inueni talem fidem in Israël. Intellige à tempore prædicationis suæ propter patriarchas & prophetas, Deinde propter Baptistam & B. virginẽ. Concinit his D. Hieronymus, qui ait Christum loqui de præsentibus, non de retro patriarchis & prophetis. Sunt qui simpliciter intelligi malint, videlicet quòd inter eos qui pro ægris supplicârunt, nullus habuit maiorem fidem.

7.

Tenebras exteriores. Caietanus intelligit tenebras exteriores esse externas tenebras, vt comparatiuus loco positiui sit positus. Sed quomodo dicet quis, erunt ibi tenebrę, cùm adsit & ignis, qui natura ęst lucidus? Respondemus ex Basilio in Psalm. 28. qui ait in igne esse duas facultates, vstoriam videlicet & illuminatoriam. Hæc autem erit in igne illo, sed illa non erit. Idem habet D. Ioan. Chrysost. libello de reparatione lapsi. Theophyl. verò & D. Hieronymus in Esaię cap. 14. intelligũt has tenebras esse damnatorum hominum: esse verò in profundo inferni quasdam interiores, & maiores, crassioresq́ue. Non est absurda Augustini sententia, qui in Psal. 6. commentans, tenebras exteriores, interpretatur mentis cæcitatem, in quam traditi sunt impij, vera mentis luce destituti.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIÆ,

Mat. 8. Luc. 8. Marc. 4.

A*Scendẽte Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius.* Diuus Hieronymus commitigati maris (quod iam mirum in modum efferbuerat) à Iesu factum miraculum asserit ordine fuisse quintum, quo pelago bruto planè

elemento potenter imperauit, fluctusq; & procellas ex abysso incredibili furore & fragore ebullientes, vel potius erumpentes, subsidere coëgit, nec dilectam nauiculam aquis obruere.

Secuti sunt autem eum discipuli. Causam red-
Euthym. dit huiusmodi Euthymius. Quia cùm, inquit, turbis beneficia cōtulisset, languores videlicet sanando, videbantur discipuli nullo cohonestati fuisse beneficio. Nunc ergo cùm videret sequentes, decreuit & eos nōnihil recreare. Nam cùm de repente oborta tempestate in demersionis periculum incidere permisisset, demum
Chrysost. mirabiliter eos eripit. D. Ioannes Chrysostomus alterã affert causam, eos videlicet à Christo assumptos, & vt futuri signi faciat spectatores ac testes, atque vt palestræ alicuius magister eos ita exerceat, vt nec terrore vincerentur in periculis, nec honoribus oblatis efferrentur: Ne enim nimium sibi tribuāt aut arrogent, quia seorsum à Messia assumerentur, offert periculum: & ne frangerentur aduersis, largitur auxilium. Erudiri itaque debent & ad futuras mundi procellas, dū Iesum in mari huius mundi essent transuecturi (quod factum est, cū prouehebant sermonem euangelicum) confirmari. Auctor operis imperfecti conuertit se ad sensum mysticum, & nauim hāc ecclesiam esse dicit, secundum quod, inquit, per Salomonem de
Prouer. 31 ea spiritus sanctus loquitur: Facta est tanquam nauis institoris de longè portans panem suum. Hæc nauigantibus Apostolis, gubernante Domino, flante spiritu sancto prædicationis verbo vbiq; discurrit, portans secum magnum & inæstimabile

æstimabile precium, quo totum mundum in sanguine Christi mercata est. Rodolphus Baynus, olim linguæ sanctæ Lutetiæ professor, ait: quòd cúm Apostolorum per omnem terrã exiuerit sonus, preciosæ animarum merces per huius mundi fluctus ad Christum aduectæ sunt. Eleganter & iucundè hanc nauim contemplatur Paulus à Palatio Granatẽsis: Nauis, inquit, tota cœlum versus aperta est, tota verò versus maris imum occlusa: sic nimirum ecclesia apertis oculis, ore, & corde cælum respicit, cælum quærit, ad cælum suspirat & anhelat, tota à cælo pendet, tota à cælo influitur, atque à cælo vicissim inspicitur: ea verò parte qua respicit ecclesia mare huius sæculi, clausa est, neque falsas eius illecebras vnquam admittere cupit, aperta Deo, clausa mundo. Nullum autem periculum habet nauis, nisi ab aquæ marinæ immodico influxu: Sic nullum periculum ecclesiæ nisi cùm ingressum affectibus humanis concedit. Nunquam tamen ecclesiæ nauis infestis & aduersis fluctibus opprimetur. Id D. Augustinus ostendit in interpretatione Psalmi 128. Oppugnatur, inquit, ecclesia, sed nõ expugnatur. Perierunt omnes in diluuio, quos pertulit Noë, & sola arca natauit in fluctibus, & euasit in siccum. Nemo miretur in fluctibus iactari ecclesiam. Audiat dicentem matrem Psal. 128. Noli ad ista mirari fili: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea. Iam enim ecclesiæ senectus oppugnatur, sed consoletur se præteritis exemplis.

Paulus à Palatio.

August. in Psal. 128.

Psal. 128.

Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula

Marci. 4. *uicula operiretur fluctibus*. Patet ex Marco, quòd hæc tempestas circa noctem facta est. Apostoli verò securi erant, dum nauē ingrederētur, adeò vt nec minima aura, mare trãquillum raderet: & ecce nescio vnde coorta ingens tempestas. Cùm deuictis hostibus Constantinus Imperator rerum latè per orbem potiretur, nec vlla vsquam persecutio, mox de repentè exoritur Arrius hæreticus, qui maiorem mox turbationem intus cõcitauit, quàm ab infidelibus nasci posset. Nec alia modò nostra tēpora sunt, quare etiam atque etiam vidēdum nobis est, quid ij qui ante nos fuerunt, huiusmodi orta tempestate, fecerint. Audiamus igitur, quid egerit Imperator, quid Episcopi. Imperator vbiq; rerum anxius, & de cõmuni religione sollicitus, commonere episcopos & sacerdotes, vt irruēti turbini, irent obuiam. Iam Occidens Oriensque persanctè in episcopis coniurasse videbãtur ad componendos fluctus, sistendasque procellas, quas temerarius animi & prodigus fidei Arrius, excitauerat. Concursum est acriter in Nicæa (nam hic locus delectus erat celebrando concilio) inter catholicos & hęreticos. Vix numero comprehēdas episcoporum multitudinem. Venerat ex Hispania Cordubensis Hosius, ex Ægypto diuinus Athanasius. Hi tanquam duo fulmina belli omnium oculos in se traxerant. Oppugnata est Ecclesiæ nauis acriter ab Arrio, Eusebio, & alijs coniuratis, neque segnior fuit defensio, dum penè totus orbis pro religione certaret. Quis finis belli? Euasit, exsuperauitq; infestos fluctus ecclesiæ nauicula, damnatus est

Arrius,

Arrius, respirauerunt patres, lætatus est Imperator. Imò tota ea tempestate, quæ erat sanè quàm maxima, solliciti erant vbiq; per orbem populi, ac precibus pijsque exercitijs dabant operam. Videtis auditores candidissimi, quãta vbiq; mole, quantis machinis oppugnetur Ecclesia, quot copijs nos adoriantur aduersarij, & nos supini in vtramque aurem dormiemus? Turbat Pharao, vel sexcentis curribus terribilis aquam, & Moyses, filijq; Israël otium agent, nec exclamabunt ad Dominum? Videmus ardere rubum, & nemo nostrum calciamẽta soluit, vt cum reuerentia Dominum alloquatur? Heu nostrã securitatem & supinã oscitantiam. *Exod. 14.* *Exod. 3.*

Iesus verò dormiebat. Typum Iesu dormientis (ait Hieronymus) Ionas retulit, quando cæteris periclitantibus, ipse securus dormit, & suscitatur. Si vigilante Christo, fuisset orta tam grauis tempestas, non adeò extimuissent. Hic pulchrè Eusebius Emissenus: Dormire videtur pastor, quando lupi in oues impetum vertunt, quando fures rapiunt, & non est qui eripiat, quando tyranni persecutionem commouent, quando pij vincuntur, & mali victoriam obtinent. Sic visus est dormire in veteri lege, dum sanguineus ille Pharao miseris modis filios Israël afflixit, vsqueadeò vt ad infantium cedes eius pertingeret crudelitas. Sic Æglon, rex Moab 18. annos, immani & durissima seruitute presit Israëlem, adeò, vt ne vel minima quidem vsquã salutis spes affulgeret. Tandem Aioth inclytus filius Gera, tyrannum confecit, & Dominus euigilasse videbatur. Sed cla- *Hierony.* *Exod. 1. & 2* *Iudic. 3.*

mabant filij Israël ad Dominum, & is destinauit illis saluatorem.

Jesus autem dormiebat. Summum solet instare periculum, quando nauclerus dormit. Dormijt Iudith 13. Holophernes vino & amore totus consopitus, irruunt hostes, ac secundo marte omnia sternẽtes, ducem vita spoliauerunt & armis. Si verò Christo dormiẽte, Leuiathan, ac dracones marini cauda sua varias procellas, variaque pericula excitare audent, quibus ecclesiæ nauẽ, etsi non demergant, certè miserum in modum lacerent ac saxis illidant, atque aggere cingant harenæ: quid non audebunt aggredi ac moliri præfectis ecclesiæ alto somno presłsis? Quid nõ tentabũt, cùm viderint eos marsupijs & sacculis implendis dare operam, & solum inquinis, & ventris venari delitias, neglecto & posthabito grege? Heu tetram & atro carbone notandam noctem, qua proceres ecclesiæ infami & damnoso se dedunt somno. Succurrũt mihi hic versus Vergiliani:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lachrymis æquare dolorem?

Habemus, gratia sit Deo, plurimos inter ecclesiæ præfectos viros prudentes & doctos, vitæq; satis spectatæ. Verendum tamen est, nonnullos diuersum iter incedere, qui noctu pergræcari, & interdiu altum stertere iam diu consueuerunt: qui omnem vitæ suæ diętam vel cõuiuarum garritu, vel musicorum instrumentorum sonitu curent continuo perstrepiscere, ne scilicet fragorem ruẽtis ecclesiæ exaudire possint vel persentiscere: qui cum Iona in arcanissima

ſima ſe parte nauis condunt, ne fragorem audiant colluctantium nimborum, & vndique, miſeram nauiculam verberantium ſonitum procellarum.

Et accedentes diſcipuli, excitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. Marcus ait, Præceptor non eſt tibi curæ quod perimus? Lucas autem, præceptor perimus. Quidam, inquit Euthymius, hoc quidam illud dicebant, & alij vnum, alij aliud, aut etiã omnes omnia. Theophil. Quòd aiũt, ſerua nos, fidei eſt, quòd aiunt, perimus, non eſt fidei: Quando videmus eccleſiæ præfectos & epiſcopos ſtertere, & ſomno dare operã, noſtrũ tum erit inclamare ad Chriſtum, maris huius architalaſſum, vt dicamus cũ Pſalmiſta: Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem. Nec dubium ſi noſtro non defuerimus officio, quin Dominus expulſis fluctibus nauiculam ſit propitijs oculis inſpecturus. Profectò (inquit venerabilis Hoſius) tempeſtatis noſtræ non poſtrema cauſa eſt, quòd in vicarijs ſuis iam obdormijt Chriſtus, qui commodis huius mundi deliniti, profundo ita ſunt ſomno conſopiti, vt quamlibet vellices, quamlibet inclames, non queant expergiſci: Quid hic facient ſubditi? Confugiãt ad ſummum nauclerum Chriſtum, accedant ad ipſum, nihil in fide hæſitantes, eum in vicarijs indormientem excitent, ac ſupplici voce precãtes exclament: Domine ſalua nos, perimus. Expergiſcere Domine in ijs, quibus in gubernanda eccleſiæ tuę naui, vices tuas committere dignatus es. Excita eos à profundo ſopore ſpiritus

Hoſius Cõfeſſionis Polonicæ, cap. 29.

tus timoris tui, ac per eos iam experrectos impera ventis & mari, quo tandem aliquando sedatis tempestatibus, ab omnibus exoptata tranquillitas consequatur, vt videntes homines mirentur & glorificent te, dicentes: Qualis est hic, quia etiam ministris eius venti, & mare, obediunt. Hac ratione succurri proculdubio posit, malis calamitatibusque præsentibus, si cuncti vno ore Deum precemur, si fortè per ecclesiæ præfectos stet, quo minus ecclesiæ laboranti succurratur, quandoquidem in eius manu corda sunt principum, vt ipse inclinet ea ad illa capienda consilia quibus pax diu exoptata & tranquillitas ecclesiæ Dei iam aliquãdo restitui posset. Hactenus Hosius. Sũt qui alias sedandæ tempestatis rationes comminiscuntur, sed nescio an æquè efficaces, ac salutiferas. Certè qui primarium nauclerum ecclesiæ Iesum in rebus ambiguis inuocant, quo fluctus tempestatemque sonoram componat, hi mihi videntur proximè sectari discipulos Christi. Quid prodest multa lamentatione, multis questibus suos testari dolores apud vulgus imperitum? Non illi imperium pelagi. Non illud res turbatas componere nouit, sed rebus turbatis potius accedere. Fuit anno communis salutis 1566. in Belgio ita concitatus oceanus, multis vndique sese ostentantibus monstris, varijs inter sese magno fragrore, colluctãtibus nimbis, ac ventis, vt rebus extrema spe nutantibus, & pendentibus, minimum abfuerit, quin nauicula operiretur fluctibus. Erant plerisque in locis non Christi, sed nescio cuius Neptuni tritones

Æneid. 1.

seu

ſeu tubicines,qui τὴς ἀλεκτοῦς,cornu diſtẽtis,quã maximè buccis inflantes, piorũ aures diuerberabant. Quid hic vulgus nautarum imperitum? Quid? Multo maxima illorũ pars ſeditioſas buccinationes cupidis haurire auribus,ac ſeſe vltro obortis fluctibus tradere,nec cõſulto,nec conciliato aut inuocato nauclero Chriſto. Quid deinde quæſo factum? Tritones illi cõſcenſis vbique locis editioribus , plenis tibijs fanda atque infanda contra naucleri vt arcana , ita ſalutifera myſteria, atque adeo contra ipſos myſteriorum adminiſtros & promos clamare : deinde pariter conſpiratis animis , ac coniunctis viribus,nauem ipſam aggredi, & trepidis,hæſitantibuſque,rei nouitate nauarchis rerumque magiſtris,omnia confringere,turbare, vela ſcindere,& malum , pulcherrimum profecto lignum cum antennis ipſis cõuellere , à temone moderatorẽ ſubmouere,ac breuiter omnia ſurſum ac deorſum miſcere. Acceſsit ad tantam calamitatem draco marinus Leuiathan , & res turbatas reddidit turbatiſsimas. Sed quid obſecro tãdem? Nondum plenè ſedata tempeſtas eſt, ſed ſedabitur,ſpero,ſi ardentibus precibus,& vitæ ſanctioris correctioriſq; odore, Naucleru nobis reddamus beneuolum ac propitiũ , in cuius vnius eſt manu & mulcere fluctus & monſtra pellere:& profligatis ventis, tenebris opertum cælum ſerenare. Si ad ouis periclitantis balatũ excitatur paſtor, ſi ad pullorum pipitiones alas latè explicat gallina, ſi ad paruuli vagitum ſinũ aperit vberaque porrigit mater , vel obdormiturus eſt , vel obſurdeſcet ad fidelium ſuorum quere-

querelas,& lamentationes Chriſtus? Quid igitur ad tam atrocem tempeſtatem obmuteſcimus? Si in periculoſo nemore, dum attinetur à latronibus,non exclamat mercator,nónne videtur velle deſpoliari? Itaque neceſſum eſt vociferari,atque certa ſpe, animiq́ue fiducia oculos ad cælum ſubrigere. Scitis omninò quid Chriſtus ſub morté dixerit Apoſtolis ſuis: Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem. Vigilabunt paſtores, ſi captata oportunitate in locum ſolum ſeorſim à turbis ſe recipiât aliquando, ac quiſq; eorum ita ſecum cogitet: Quid ego amens facio? Grex mihi ouium Chriſti creditus eſt. Neſcio hodie ne an cras ſiſtendus ſim ad tribunal diuinum, vbi iudex neque pretio flectitur, aut corrumpitur, neque dolis aut technis decipitur. Qua fronte, quo ore reſpondebo? Pauiſſe eos debebam, tū verbo, tum exemplo: texiſſe ac defendiſſe à lupis maliſq́ue beſtijs, etiam vitæ meæ diſpendio. Atqui tantum abeſt, vt hæc munera veri paſtoris præſtiterim, vt etiam illis periclitantibus cuticulam curauerim, aut ſupino ſomno me conſopiuerim, ſecurus qua grex oberraret. Sed age anima, num qui cæcidit, non adijciet vt reſurgat? Hæc mea oſcitātia, tam craſſa, tam ſupina, poſteriori diligentia ſeu vigilantia ſarciatur. Summum paſtorem vt faueat aſpiretq́; nouis cœptis precabor, ac curabo tum ſedulo, vt non tam nomine ſim poſthac paſtor, quàm re ipſa. Vigilabunt & oues, ſi prauis moribus, vitijsq́ue craſsis proteruia, adulterio, furto, periurio, detractione, ebrietate, fœdis & inconceſsis amoribus, contu-
macia

macia aduersus prælatos, denique & hæresi renũcient, ac nauclero Christo eleemosynis, precibus, abstinentiaque commendent, solliciti cũ primis ne pastores suos, qui pro eis apud episcopum animarũ Iesum spoponderunt, vel dicto vel facto lædant, sed quæ ouium sunt innocuarum, pro parte sua virili præstent. Si ita pastores vna cum ouibus & viuant, & vigilẽt, dispeream, nisi breui visuri simus aliam orbis Christiani, hoc est Christi ouilis faciem. At quia tam grauis somnus tum ducum nostrorum, tum nostros oculos occupauit, mirum non est ventos & tempestates in mari exortas, & Leuiathan nihil non mali in aquis nostris moliri. Sed quid miramur tempestatem vel cœpisse, vel perdurare, cùm sint vix vlli qui Christum dormientem suscitent? At quo pacto suscitaremus, cùm ipsi dormiamus vel omnes, vel omnium plurimi? Agite igitur auditores suauissimi, & pro se quisque sedulò nauclerum nostrum Iesum in naui dormientem, suscitemus, & tum procul dubio statim nobis est responsurus:

Quid timidi estis modicæ fidei? Acsi dicat: Quid ventus aut assurgentes fluctus vobis officere possunt, me præsente? An nescitis me vti cæli & terræ, ita etiam maris esse potentem? Quis cælos appendit, quis terram strauit, quis æquora fudit? Qui hæc omnia creauit, hæc & pro suo nutu & arbitratu suo moderari potest. Quid igitur timidi estis? Cur metuat ouis in humeris pastoris? Cur timeat agnus in brachijs Christi? Cur paueat sponsa, quam sponsi dextera complectitur? Quid? times Christi imbecillitatẽ, aut natu-

Luc. 10. *Esa. 40.* *Cantic. 8.* *Ioan 10.*

naturæ fragilitatem? Verùm ille te ſecurum facit. Ioan. 10. Nemo rapiet oues meas de manu mea. Quid igitur eſt cur metuatis? Si ſuper alas ſuas vos geſtet aquila magnarum alarum, quid
Deut. 32. formidabitis ſcarabæos, neç volatu nec virtute pares: Nauclerus noſter eſt Emanuel, hoc eſt, nobiſcum Deus. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala quoniã tu mecum es Domine. At dicet quiſpiam: grauis eſt tempeſtas, Magnus vbique timor & plurima mortis imago. Magna erat tempeſtas quoque quæ Apoſtolos circunſtabat, Nemo tamen eorum idcirco deſpondit animum, nemo extra nauim quod fluctuaret, exilijt. Etenim qui nauim propter vrgentia pericula, eccleſiamque propter aſſultus quos vel à Iudęis, vel ab hęreticis ſuſtinet, eã deſerit, certiſsimo ſe tradit exitio. Quid? An propter fumum in flammam te conijcis? an ob canum atroces latratus, te caninis trades dentibus dilaniandum? Sed quid increpat diſcipulos quod eum excitauerunt? Neutiquam, ſed quod tam anxij quaſi re perdita trepidârunt, conſternatiq; non aliter quàm ſi cum naui, atque ipſis actum eſſet, exclamauerunt. Diffidentiæ enim erat quod dixerunt, perimus. Imò D. Lucas oſtendit pluſquam decuit eos fuiſſe con-
Luc. 8. ſternatos. Dicebant ęnim, præceptor, præceptor, ſic enim habent Græci. Hoc verò argumentum erat puſillæ fidei, quòd arbitrati ſunt eum non poſſe iuuare, quando ſecundum corpus dormiret: id verò ſe conſequi poſſe, modò vigilaret. Exigua ſane potentia quę ſomno exinanitur.

Mo-

Modicæ fidei. Qui magnam fidem habet, nõ dicet, salua nos, perimus: sed fortiter omnibus difficultatibus obluctatur, anchorã fiduciæ suæ in illius misericordiam figens. Alioquin iniuriã fortissimo faceret viro, si in illius humeris sublatus, si illius clypeo tectus (quemadmodum Teucer sub Aiacis scuto se condebat) ventos metuat ac tempestates. Lubet hic considerare quàm magnam fidem habuerit D. Paulus: Cùm illum tetra tempestas in mari Adriatico deprehendisset, non trepidus animi, quemadmodum isti modò discipuli, exclamauit, Salua nos, perimus: sed fiduciæ plenus furentibus vndiq; procellis & ventis, ait: Suadeo vobis ô viri bono animo esse, amissio enim nullius animæ erit. Hunc Paulum in oculis circumferte charissimi, & clarissimi auditores. Hic gentium, hoc est, noster Apostolus est. Huius Megalopistiã, id est, magnam fidem ob oculos nobis ponamus, ne nobis à Domino Iesu etiam dicatur, modicæ fidei. *Act. 27.*

Et surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Hic manifestam diuinitatis suæ potentiam ostendit Dominus, dum violentos surdi maris fluctus (quid enim mari cõmoto surdius, aut impotentius?) in summam repentè vertit tranquillitatem. Sic & mare illud rubrum, tumidum licet & ferox, Israëlitici populi gratia totũ intercidit, vt ne gressus quidem transeuntium contingere auderet. Hinc Psal. 76. ait Propheta Dauid: Viderunt te aquę *Psal. 76.* Deus, viderunt te aquę, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi, Multitudo sonitus aquarũ vo-

Psalm.88. cem dederunt nubes. Et Psal.88. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuũ eius tu mitigas. Moyses olim mare rubrũ domuisse videtur, sed virga visus: Christus verò solo verbo rem omnem perfecit. Neq; noster hic nauclerus, nec preces fudit, nec manus in cælum sustulit, neque virga ferijt, sed non aliter atque ancillæ trepidæ minatus est seu imperauit. Vnde optimè hîc Hieronymus: Intelligimus, inquit, vel ex hoc loco quod omnes creaturę sentiant creatorẽ. Quas increpauit, & quibus imperauit, sentiunt imperantẽ. Sentire verò Hie-
Hierony. ronymus has creaturas creatorẽ suum scribit, quòd vox eius in eas efficax sit. Potentissimus ac locupletissimus erat Medorum & Persarum rex Xerxes, qui tamen nihil imperij aut efficaciæ, in mare ostendere potuit. Is tamen rerum fœcundarum & prosperitatis affluxu in tantam ascendit proteruiam, & superbiam, vt mare castigare, ac pœnas etiam infligere pergeret, multa illi minatus, quòd eius nollet facere imperata. Sed ô miser, nõ te agnoscit mare, tu enim cum illo creatura es: sed creatorem agnoscit, &
Herodotus lib.7. sentit. Sed Herodotũ audiamus, qui li.7. ostendit, & quibus pœnis, & quibus minis Xerxes ille obluctans atque resistens mare compesce-
Sabellicus lib.2. Enneadis 3. re est conatus. Cùm pontem, inquit, in angusto mari inter Abydon & Seston vis pelagi dissoluisset, Xerxes trecenta verbera infligi Hellesponto iussit, compedesque in imum vadum demitti. Fama est missum, qui & stygmata ipsis aquis inureret, barbara etiam voce increpitum est mare, q̨ci sentiret.

Et fa-

Et facta est tranquillitas magna. Modica & pusilla est tranquillitas, quæ imperatur ab hominibus, magna verò ea quã imperat Christus. Tranquillitas magna in via, sed maxima futura est in patria. Hic, ait Ioannes Hesselius, est inchoatiuè, in patria verò perfectiuè. Magna trãquillitas in viatoribus, maxima in beatis.

Porrò homines mirabantur, dicentes: Qualis est hic? quia venti & mare obediunt ei. Discipuli cæterique qui erant in naui, rem tam prodigiosam vehementer admirati, dixerunt: Quis est iste? Nam omninò prefert quid homine maius, quãdoquidem non solùm morbi & dæmones, verumetiam venti ac mare iussis eius obtemperãt. Hic Origenes. Qualis est hic, maior Moyse, potentior Helia. Ille virga vsus, vt mare rubrum siccaret, hic ictu melotis Iordanem diuisit. At iste verbo vno mandat illis quæ non habent verba, & ecce obediunt ei. At nemo hæc miretur, quoties enim noster Iesus assurgit & imperat, nullus metus, nulla tempestas, nullus ventus, imò nulla infirmitas, nulla deniq; mors non potest non obtemperare. Hic est noster sponsus charissimi auditores, hic est noster Iesus, qui iuxta sponsæ Saræ verbum, post tempestatem tranquillum facit. Hic admirabili suo consilio & singulari amore, discipulos suos primo exercet tribulatione & tempestate, deinde consolatur, & gaudio perfundit: tum illius canitur encomion, prædicatur potentia, & ad sydera vsque extollitur eius beneuolentia. Tum iactatos ęquore toto, & iam in portum receptos, Eneæ verbis alloqui possumus.

Origenes.

Tobiæ 3.

Verg.lib.1. Æneid. *Vos & Scyllaam rabiem, penitusq́; sonantes*
Accéstis scopulos: Vos & Cyclopea saxa
Experti, Reuocate animos, mœstumq́; timorem
Mittite: Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Sed valeant Vergilius & Æneas cum sua tēpestate, potius Dauidem nostrū audiamus, qui Psalm. 106. ad viuum hanc historiam mihi de-
Psal.106. scripsisse videtur: Qui, inquit, descendunt mare
„ in nauibus, faciētes operationem in aquis mul-
„ tis: Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia
„ eius in profundo. Dixit, & stetit spiritus pro-
„ cellæ, & exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt
„ vsque ad cęlos, & descendunt vsque ad abyssos,
„ anima eorum in malis tabescebat. Turbati &
„ moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eo-
„ rum deuorata est. Et clamauerunt ad Domi-
„ num cùm tribularentur, & de necessitatibus
„ eorum liberauit eos. Et statuit procellam eius
„ in auram, & siluerunt fluctus eius. Et lætati
„ sunt, quia siluerunt, & deduxit eos in portum
„ voluntatis eorum, &c.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Ecclesia nunc apposité & rectè nauicula dicitur, vt etiam in primordio conditi mundi potuit dici. Certè ita ad angustias redacta est religio Christiana, ita cōtracta in arctū, vt cymba magis quàm nauis dici posset. In mundi initio arcta erat ecclesia, in medio magna & ampla est, nunc mundo declinante rursus angusta est.

2.

Beatus Marcus cap. 4. scribit quòd in eodem mari & aliæ fuerint nauiculæ. Sed quid sunt illæ naui-

culæ

culę apud nauim Ecclesię? Profectò nihil sunt aliud quàm ecclesiolæ hæreticorum. Et tamen ecclesiolæ, se pro vera ecclesia agnosci volũt. Agunt enim omnia adinstar ecclesiæ nostræ, Baptizant, prædicant, cantant. Breuiter nihil non imitantur, vt verè D. Cyprianus hæreticos ecclesiæ simios dixerit. Simius enim eadem quæ hominis sunt, facere conatus, sed non potest: quod si maximè posset, nihil aliud quàm simius est. Caue tibi ab his nauiculis iuxta Christi nauim fluitãtibus, imò fluctuantibus, nisi ames periculum, nisi quæras naufragium. Non enim est Nauclerus Iesus in illis nauiculis, sed in naui est cum Apostolis, prophetis, & patriarchis, etiam antequam Nohe suam nauim edificaret. Istæ nauiculæ nuperæ sunt & nouæ, nauis quæ Iesum vehit, est à condito mundo. Sed quid Iesu, vel eius discipulis cum his nauiculis, vbi nec Euangelium, nec miracula, nec sacramenta, nec martyres, nec vera doctrina? Vna istarum nauicularum negat Iesum esse hominem, altera negat esse Deum, Est quę non admittit illum esse in Eucharistia, est quæ eius matrem, ac secum nauigantes discipulos, putat non esse inuocandos, aut colendos. Quid igitur in his ageret nauiculis, quæ cùm sibi, tum discipulis abrogant debitos honores?

3.

Imperauit ventis. Græcè est ἐπετίμησεν ab ἐπιτιμᾶν, quod propriè significat increpare & obiurgare. In Luca est, increpauit. In Marco, comminatus est. In Matthæo, imperauit. Sic legunt antiquissimi nobiscum auctores, Hilarius, Hieronymus, Augustinus in Ioannem tract. 49. & Euthymius. Miror Erasmum ab his dissentire voluisse.

4.

Nauis Ecclesiæ cùm olim tum modò varijs prelijs & oppugnationibus ab aduersarijs expetita est, sed nunquam expugnata. Vt optimè de ea dici pos-

ſet, quod de ciuitate Atheniẽſi Apollo Pithius cecinit. Eam enim varijs aſſultibus diuexãdam, nunquam verò extinguendam, aut in poteſtatem hostium venturam. Narrat id Plutarchus in vita Thesei. Oraculum verò Delphicum hoc erat:

Plutarchus in vita Theſei.

Vter vt inſanis pelagi iactaberis vndis.

Sed falſa & vana fuerunt de Athenis oracula. De Eccleſia verò, omnia veriſsima. Ego vobiſcũ ſum, ait Chriſtus, vſque ad cõſummationem ſeculi. Niſi enim in naui hac Chriſtus eſſet, non potuiſſet tot aſſultibus atque oppugnationibus par eſſe. Id pulchrè Propheta Dauid, Pſal. 123. Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, niſi quia Dominus erat in nobis. Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos: cùm iraſceretur furor eorum ſuper nos, fortè aqua abſorbuiſſet nos. Imò (inquit Proſper) perſecutionum nos magnitudo ſuperaſſet, ſed illo præſidente in cordibus noſtris, illo dante tolerantiã, illo conſummante victoriam, habitantis in nobis ſumus gloria, nõ hoſtium præda. Magna altero Pſalmo cum fiducia clamat Dauid: Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Dormit in naui aliquantulum, in Eccleſia nunquã. Quid verò promiſsio ſeu oraculum, nõ Apollinis, ſed Chriſti canit, portas inferni non præualituras aduerſùs Eccleſiam? Imò ſi portæ illæ effundant omnia dæmonum in hanc nauim agmina, nihil omninò profecerint. Petra quidem marinis fluctibus tunditur, & procellis irruẽtibus verberatur, ſed non deijcitur. Hinc Paulus ad Roman. Propter te mortificamur tota die, ſed in his omnibus ſuperamus. Elegans eſt oraculum Zachariæ Prophetę: Ponam Hieruſalem lapidem oneris cunctis gentibus: omnes qui leuabunt eum, conciſione lacerabũtur. Quemadmodum enim is qui lapidem molarem conatur mouere loco, nihil efficit, ſed potius ipſe ſub mole fatiſcit: ita qui Eccleſiam auferre

Matth. 28. Pſal. 123. Proſper in Pſal. 123. Pſal. 120. Matth. 16. Rom. 8. Zachar. 12.

ferre contendunt, operam ludũt, ac frustra conantur. Potestas enim filij hominis, ait Daniel, cap.7. potestas perpetua, quæ non transibit, & regnũ eius non corrumpetur. Quam sentẽtiam D. Augustinus lib.2. contra aduersarium legis & prophetarum, de perpetuitate Christi & Ecclesiæ, interpretatur. Ammianus Marcellinus in historijs suis, toties appellat Romam vrbem æternam, sed ea sæpenumero expugnata est, nostra verò vrbs Ecclesia supra montem posita, nunquam expugnabitur. Idcircò D. Hieronymus, non malè comparat Ecclesiam rubo Moysis, qui ardebat, non verò comburebatur: quod tum fit, cùm videmus Ecclesiam inflammari persecutionibus, Domino in ea loquente, sed non perire. Sic Rasim rex Syriæ, & Phasee filius Romeliæ rex Israël, ascenderunt (ait Esaias) in Hierusalem, ad præliandum contra eam, & non potuerunt expugnare eam. Elegantissima est interpretatio D. Hieronymi: Hi duo reges, inquit, significant populos duos, Iudaicum & Gentilem. Hę tamen gentes, exercere possunt Ecclesiam, sed nõ expugnare. Sed claudamus hanc annotationem, seu mauis, digressionem, vnica eaq; speciosissima de naui Ecclesiæ. D. Chrysostomi sentẽtia: Quamuis, inquit, infestatione inimici Ecclesia, vel seculi tempestate laboret, quibusuis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia filium Dei habet gubernatorem.

Daniel. 7. *Aug. lib. 2 cap. 3.* *Hieron de 42. mansionibus, quæst. 8 ad Fabiolam.* *Esa 7.* *Chrysost. homil. 23. in Matth.*

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ EVANGELIVM.

Matthæi 20.

S*Imile est regnum cælorũ homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.* Vinea ecclesia est, quæ ab Abele iusto vsque ad vltimum electum, quot homines

Gregorius.

habuit, quasi tot palmites tulit. De vinea hac
Esaias 5. Esaias ca. 5. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit vineam electam, & ædificauit turrim, & torcular exstruxit in ea, & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas. Ecce quãta diligentia Domini circa vineam filij sui. Sæpiuit eam lege, & mandatis, seu auxilio angelorum. Lapides elegit ex ea, quãdo simulachra lapidea longè semouit, vt Dei cultus esset purior. Et plãtauit vineam electam, pro electam, Hieronymus legit, vineam Soreck. Est autem Soreck genus vitis optimæ, & selectissimę, cuius vuæ acinis carent. Sed heu post summum istud culturæ studium nihil ferè præter labruscas nobis producit, hoc est fœtidos fructus, & (vt Aquila vertit) vuas pessimas, cùm iure optimas, & selectissimas proferre decuisset. Quapropter metus est ne pampinos ipsos, qui huiusmodi putridis vuis, labores, & sudores patrisfamilias fallunt, tandem in flammas edaces è vinea recisos, abijciant angeli. Quid enim aliud fieret, quęrit Ezechiel, de ligno vitis? Nunquid tolletur de ea lignũ vt fiat opus? Ecce igni est datum in escam. Aliæ plantę vbi sterilescũt, vtilitatem nonnullam adferunt. Nam vel ad ædificãdas edes, vel ad cõpingendas naues, vel ad hastas, arcus, aut vasa aptanda vsum sui prębent. At vitis infrugifera igni alendo duntaxat conducit. Hei mihi, quot huiusmodi inutilibus pampinis scatet nostræ ecclesiæ vinea! Pauci quippe boni, pauci qui non frustra locum in vinea obtinent. Operarij qui hanc vineam excolunt

Ezech. cap. 15.

lunt, illi sunt proculdubio qui doctrina, & vitæ exemplo alios ædificant, aut suæ saltem animæ curam gerunt. Hi varijs, & amplis promissis à patrefamilias inuitantur, vt strennuam hic operam nauent.

Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Denarius diurnus merces quotidiana est. Denarius enim dragmam valet Atticam, scilicet decimam partem coronati. Hoc est, vt Franci aiunt, tres solidos, vel tres asses. Sed quis est iste denarius diurnus? certè vita æterna, de qua Matthęi 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata. Sed quæ- *Matth.19.*
stio hîc moueri posset. An propter splendorem huius denarij diurni, hoc est, an intuitu consequendæ vitæ æternæ, Deo seruire, & obsequi possimus, atque in illius vinea (quam ecclesiam dicimus) fidam præstare operã: profecto beatus Dauid, non postremus in hac vinea operarius, ad denarium hunc respexisse videtur Psal. 118. Inclinaui (inquit) cor meum ad faciẽdas iustifi- *Psal. 118.*
cationes tuas propter retributionem. Et Dominus Lucæ 16. eleemosynam suadens, Facite *Luca 16.*
(ait) vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quibus nos monet verbis eleemosynã porrigere, vt æterna tabernacula, hoc est vitam æternam consequamur. Matthæi 4. Pœnitentiam facite, & appropinquabit regnum cælorũ. Equidem arbitror ego non toties Christũ, dum spargit sua præcepta, mercedem vitæ æternæ ob oculos nobis fuisse positurum, nisi vt nos tãquam per denarium ad operãdum alliceret. D.

1.Corin.9. Paulus docet 1. Corin. 9. quòd is qui arat, debeat in ſpe arare: & qui triturat, in ſpe fructus percipiẽdi. Quid ergo vetat & in vinea operãtem ſpe fructus ſeu mercedis eſſe diligentem? Hebr.11. Cùm verò ad Hebræos 11. dicat: Abraham per fidem exiſſe terram ſuam, & habitaſſe in terra aliena, dicit eum idcirco feciſſe, quòd expectaret fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Fundamenta habẽtem ciuitatem æternam gloriã appellat: hæc enim tam firma habet fundamenta, vt homo nunquam excidere poſsit. Laudat ibidem & Moyſen de fide per quam mundi delitias, & diuitias contempſit. Reddit verò huius contemptus cauſam, ſpem videlicet vitę æternæ. Aſpiciebat Concil.Tridentinũ. enim in remuneratorem. Nunc Conciliũ Tridẽtinum hac de re apertè: Si quis dixerit iuſtificatũ peccare, dum æternæ mercedis ſpe operatur, anathema ſit. Laudat & Apoſtolus Theſſalonicenſes, quòd pro regno Dei patiebantur. Huc facit quod Ambroſius ſuper Lucã, bonos, ait, eſſe mercenarios, qui pro mercede æterna Deo ſeruiunt. Quid? Num id culpæ vel vitio dabitur filio, quòd videndi patris ſui gratia prę-clara patret facinora? Hæc enim genuinum filij ſequuntur amorem, patris præſentiã velle conſequi, patre frui, & optatis frui amplexibus. Amici enim mutuo colloquio, ac conſpectu, imò & conuictu frui cupiunt. Huc omnino facit Lib.10.de ciuit ca.1. quod lib. 10. de Ciuit. cap. 1. dicit Auguſtinus, quòd videlicet cuius rei adipiſcendę ſpem quiſque non gerit, aut tepidè amat, aut omninò nõ amat. Verùm de hac re latiſsimè agunt Scola-

ſtici lib. 3. ſent. videlicet D. Thom. diſt. 29. q. 1. art. 4. & Bonauentura diſt. 17. Verum, aiunt aduerſarij, nos gratis debere Deum colere. Sic eſt. Ex literis tamen ſacris ſatis colligimus ita Deum gratis coli velle, vt non colatur intuitu mercedis terrenæ, ad quam Gentes & Iudæos craſsiores & anhelare, & reſpicere ſolere in cõfeſſo eſt: ſed quòd nolit Deus coli propter regnum cęlorum, ſiue propter ſui fruitionem, cuius regni aduentum fideles quotidie petũt, orãt, & ambiunt, vt ait eruditiſsimus præceptor meus M. N. Michael, anilis fabula eſt, ex Ariſtotelis inſipientia nata. Sed in quo obſecro illud regnum ſitum eſt, nónne in eo quod æterno & immortali regi adhæreas? At propheta Dauid, cur dicit oro, mihi adhærere Deo, bonũ eſt, *Pſal 71.* niſi quòd ne ſe quidem intelligeret eſſe fœlicẽ, tametſi rex eſſet, niſi æterno regi adhæreret? Cæterùm tum Chriſtus, tum Baptiſta, nónne ita ſunt exorſi prędicationẽ? Pœnitẽtiam agite, *Matth. 3. & 4.* & appropinquabit regnum cælorũ. Imò Apoſtoli, nónne veluti illectamẽto propoſito regnum cælorum ſuis ad populum concionibus præferebãt: Dominus enim qui eos miſit, à promiſsis iuſsit exordium capere, Matth. 10. Hæc ſunt verba: Euntes prædicate, dicentes, Appro- *Matth. 10.* pinquabit regnum cælorum. Chriſtus itaque, eiuſque diſcipuli, & Ioannes Baptiſta, regnum cælorum, quod modò vitam æternam, modò mercedem copioſam, modò denariũ diurnum ſacra Scriptura appellat, tanquam album, aut ſcopum in quem benè operando iaculemur, nobis ob oculos ſtatuunt.

Conuen-

Conuentione autem facta cum operarijs, &c.

Nemo tam est atheos (credo) nemo tam ineptus, vt de fide data nostri patrisfamilias addubitet. Nam quod ille promisit, potest, & vult seruare. Pollicitus est regnum seruātibus mandata, proculdubio his, & non alijs, largiturus est. Romani olim, vt ad strennuè & fortiter agendum militum animos accenderent, varijs propositis coronis, ad præclara facinora inuitabant. Coronam castrensem, quæ ex auro in valli speciem efformato erat, ei dabant qui primus hostilia castra irruperat: muralem qui pri-

Liuius. mus murum transcenderat, & hæc erat frōdea,

Sillius. vt Plinius putat, alij auream volunt. Ciuicam

Plinius. quam ciuis ciui, ob vitam suam defensam, de-

Cicero. dit. Hæc erat querna: coronā naualem, vt Ver-

Vergilius. gilius, vel rostratam (vt Plinius) dabant ei qui primus in hostium classem insilijsset. Stabant verò Romani pactis suis, neque quisquam vnquam frustra vel castrá irrupit primus, vel murum transilijt, vel nauem trāsgressus, quin merita corona donaretur: & non dabit pater cælestis coronam debitam victoribus militibus suis, si crucis signo armati legitimè certauerint? Promittit Romanus imperator, & fides illi habetur: promittit imperator cælestis, & du-

Apocal. 2. bitas? Esto, inquit, fidelis vsque ad mortem, &

Genes. 3. dabo tibi coronam vitæ. Stat Laban pactis, & seruienti Iacob 14. annis vtramque filiam despondit: & non stabit conuentis & pactis suis Deus, vt tibi laboranti soluat mercedem?

Et egressus circa horā 3. vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam.

Quæ-

Quærit Euthymius, quare non omnes simul vocauit in vineã Dominus paterfamilias. Quia non omnes simul inuenit. Impossibile enim erat eodem tempore eademque ætate omnes accedere. Tũc autem vnumquemque inuenit, quando ille obediens efficitur. Ait enim Paulus Galat. 2. Vbi placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, continuo non acquieui carni & sanguini, &c. Tunc autem placuit, quando ille obediens efficitur. Mysticè interpretatur exitum istum Domini Paulus à Palatio, Quid te, inquit, Domine mouit, vt è loco pacis, lucis, & sanctitatis descendas in locum tumultus, in regionẽ vmbræ mortis, in locũ horroris & vastæ solitudinis? Verè mundus iste nihil aliud quã forũ est, plenus tumultus, immunditiæ, & luti, In foro lites, iurgia, pugnæ. Quãti homines, inquit prophanus ille Terentius, in foro litigant? In foro omnia ferè venalia, sic in hoc mundo beneficia & officia. Ecclesiast. 10. Pecuniæ obediunt omnia. Otiosi omnes sunt qui non operantur in vinea Christi. Etiam qui satagũt rerum polypragmones, & ardeliones, nisi ad gloriam patrisfamilias, vineæque culturam laborant, planè otiosi sunt. Similes enim sunt illis qui noctu piscabantur, non sine labore tamẽ, & sudore, nihil verò capiebant. Quando autem secundum Domini præceptum retia *Luce 5.* iam conuoluta laxant, ingentem concludunt piscium copiam, adeo vt vix vel colligi, vel numerari potuerint. Cãdidissimi auditores, si quis vestrum auro, argentóue, atque adeò gemmis sit multis conspicuus, modò nõ laboret in hac

vinea,

vinea etiam, si vel Crœsi, vel Augusti thesauros habeat, à mercede excludetur, & inter otiosos partem accipiet cum hypocrytis. Quis vsus

Plutarchus in vita Marci Antonij. quæso nauis vndique varijs historijs depictæ, quæ sericea habeat vela, & remos argento graues, quales habuit nauis Cleopatræ, si pelagus sulcare, aut flumen transmittere nequeat? otiosa est, nihil est. Sic nihil prodest laborare, sudare, currere sursum, deorsum, huc, illuc, nisi hæc omnia fiant in vinea Domini. Id elegãter pau-

Gregorius. culis verbis monstrat D. Gregorius, qui ait, carnis suæ voluptatibus fruitur, quia fructum diuini operis nõ sectatur, rectè otiosus dicitur.

2. Thess. 3. D. Paulus vocat huiusmodi inquietos, nihil operantes, sed curiosè agentes, quia multa quidẽ videntur facere, sed quæ nõ oportet, faciunt.

Quod iustum fuerit, dabo vobis. Tam iustum, & æquum est Deum persoluere ijs qui diligentem, & fidelem in excolenda vinea nauauerunt operam, debitam mercedem, & denarium secundum conuenta promissum, vt coram omni tribunali possent Dominum compellare, & dicere, numera mihi diurnum denarium, & da tot sudoribus, totq; exantlatis laboribus debi-

1. 2. quæst. 114 ar. 3. tum præmiũ. Vita enim æterna (teste D. Tho. Aquin.) redditur homini secundum iudiciũ iu-

2. Tim. 4. stitiæ. At enim D. Paulus 2. Timot. 4. Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die iustus iudex: vnde illustre fit, & clarũ, hominem etiam vitam æternã mereri ex cõdigno. Inquantũ verò hominis opus promanat ex viribus liberi arbitrij, quæ sanè per se

exiguæ

exiguæ ſunt & perpuſillæ, ſic non poteſt aliqua eſſe condignitas operis cum mercede. Siquis verò loqui velit de merito vel opere ſecundum quod proficiſcitur ex gratia ſpiritus ſancti, ſic eſt æqualitas & condignitas. Valor enim tum omnis conſideratur iuxta virtutem cooperantis ſpiritus ſancti. Nam per gratiam iam homo conſors factus diuinæ naturę, adoptatur in Dei filium, cui debetur omnino hæreditas ex vi, & iure adoptionis, Rom. 8. Si filij, & hæredes, hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Rom 8.* Si quis verò obijciat illud ad Romanos 8. cap. *Rom. 8.* Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: reſpondemus Apoſtolum loqui de paſsionibus illis ſecundum ſubſtantiam eorum, non conſiderando quòd ſumus filij Dei, aut quòd ſpiritus ſanctus nobiſcum operetur: imò non conſiderando vel Dei promiſſum, vel pactum, quo nobis mutuò ſumus obſtricti. Itaque ſententia hęc nihil aduerſatur meritis noſtris, quod optimè intelligit qui nouit, quãti ſit pendendum, quòd pij homines, quos inhabitat ſpiritus ſanctus, ſint filij Dei & mẽbra corporis Christi. Verùm his dictis planè aduerſatur D. Bernardus qui ſerm. 61. in Cantica ſic ſcribit. Meritum meum miſericordia Domini eſt. Non diffitemur D. Bernardum ita ſcribere. *Bernar. ſer. 61. in Cãtica.* Verùm ille nihil aliud vult quàm vt non cantemus, neq; celebremus opera noſtra quæ fecimus ex nobis. Iam proſtrato ac conuulſo argumento quod ex D. Bernardo petitum eſt, ſuccedit aliud ex ipſo Apoſtolo Paulo ad Rom. cap. 6. Stipendiũ peccati mors, *Rom. 6.* gra-

gratia autem vita æterna. In hoc argumento mirè exultat Caluinus, adeò vt in spem erigatur se de ecclesia vniuersa triumphaturum. Meritis, inquit, humanis debetur mors, vita autem non nisi in sola Dei gratia & misericordia posita est. Sed contra tumidum istum & næotericum Dareta, in medium nobis prodeat, qui grauiter figat pedem Entellus, D. videlicet August. qui ita hanc Paulinam sentētiam explicat epist. 105. Vita, inquit æterna, quæ in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamē quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficiētiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur. Nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Et infra sic Beatus Apostolus cōtra elationem vigilantissimè militās. Stipendium, inquit, peccati mors. Deinde ne iustitia de humano se extolleret merito, non à contrario retulit dicens, stipendium iustitiæ vita æterna, sed gratia, inquit, vita æterna. Videatur & Augustinus de gratia & lib. arbitrio cap. 8. vbi sic scribit. Si vita æterna bonis operibus redditur, sicut ait scriptura, Quoniam reddet Deus vnicuique iuxta opera sua, quomodo gratia est vita æterna? Ista quæstio, inquit, nullo modo videtur posse dissolui, nisi intelligamus ipsa bona opera, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiā pertinere. Simile est quod habet lib. de corrept. & gratia cap. 13. Ipsa vita, inquit, æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo

Aug. epist. 105.

Aug. libel. de gratia & lib. arb. cap. 8.

Aug. lib. de correptione & gratia cap. 13.

ſtolo gratia dicitur Dei, ideoque confitendum eſt à tanto Apoſtolo gratiam dici, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Vnde rectè Conciliũ Aurificanũ ſecundum cap. 8. Debetur merces bonis operibus ſi fiát, ſed gratia quæ non debetur præcedit, vt fiant. Poſtremò nobis aliud argumentum obijcitur ex verbis Domini Lucæ 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus. Sed hæc ſententia variè ſoluitur, vt non ſit hic diu hærendum. Dico igitur quòd inutiles ſumus, quando conſideramus quid peccando facti ſumus. Rom. 3. Omnes declinauerunt, *Rom. 3.* ſimul inutiles facti ſunt Sed 2. Timot. 2. rectè *Pſal. 13.* ait Paulus: Sed ſi quis emundauerit ſe ab his, erit vas in honorem ſanctificatũ, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Idcircò recolentes natiuitatis noſtræ primordia, ſemper inutiles ſeruos, & ad omne opus bonum ineptos agnoſcere noſmetipſos debemus. Sic Apoſtolus recolens quid fuerat antequam eſſet in Chriſto, minimum Apoſtolorum, imò Apoſtolico ſe nomine fatebatur indignũ, propterea quod eccleſiam Dei eſſet perſecutus. Attamen Dei in nobis munera contemplantes non ſolùm nos vtiles, ſed & meritis fœcundos noſmet dicere poſſumus vna cum Apoſtolo, qui ait: Plus omnibus laboraui. Non tamen ego, ſed gratia Dei mecum.

Circa vndecimã verò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dixit illis: Quid hic ſtatis tota die otioſi? Dixerunt ei, quia nemo nos conduxit. Tota die ſtant otioſi, qui totam vitam otio & voluptatũ vſu

 tranſi-

transfigunt. Quid hic, inquit, tota die. Acsi dicat, O malè consulti & infœlices, si pueritiæ florem consecrastis ignorantiæ, rerũ imperitiæ: si adolescentiam molliuistis ignauia, & delitijs, ijsque fœdis & pudendis: si iuuentutem inconcessis amoribus corrupistis, saltem modò senilis vos pœnitentia excipiat, quæ nunquam est sera, si vera. Mirum sanè est cùm iam vobis appetat vesper, cùm certa mors instet, nihil vos cogitare de hinc emigrãdo. Quid responsuri estis patrifamilias, qui cõducti tamẽ in vinea nihil vnquam vel sudastis, vel laborastis? Quid obsecro metetis, qui nihil seminastis? Sed responsabunt hic, nescio vnde exorti alija cuculi quidam. Itaque vsq; ad horam vndecimam, hoc est decrepitam fermè ætatem differre volo vitam correctiorem. Imò si mane, vel sexta, vel nona vo-
Psal 57. cer ad vineam hora, vel aspidis surdæ in morem, terræ affigam aurem, terrenisque illecebris opplebo, ea ne parte exaudiam vocem inuitantis, aut conducentis: alteram porrò aurem (nam & vnica voces & strepitus haurire possumus) cauda, hoc est longioris vitæ spe concepta obturabo, ac ita totus obsurdescam ad vineæ mentionem: vbi verò me cœperit iucundissimæ vitæ, ac planè inauratæ vel fastidium, vel satietas, tum alacer in medium forum prouolabo, pronis auribus admissurus vocem inuitantis. Atqui ô miser vide ne duabus sellis sedere volens, vtraque excludare. Nam paterfa-
De verbis Domini ser. 59. milias, ait D. Augustinus, tibi hora vndecima venienti denarium promisit, sed vtrum viues vsque ad nonã non promisit. Quare ergo differs vocan-

vocantem te certus de mercede, incertus de die? Vide nè fortè quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Ah quot nostra ecclesia habet aspidas, quæ (vt scribit Arnobius) alteram terræ infigunt, alteram aurem de caude suæ acumine obturant, vt nõ exaudiant vocem incantantis sapienter! Vocat Christus, & adhuc otiosus stas, & oscitabũdus, ac pendens animi, an ne ad vineam properes; an in foro maneas vanis rumusculis, emptionibus, & venditionibus, atque hinc obortis litibus, iisque nonnunquam cruentis, totus occupatus? Raptim ac semel tota deserenda Sodoma, tota Gomorrha, quarum vua, est vua fellis, & botrus amarissimus: vua Sodomę, etsi blandiatur palato, ad certissimum ducit incẽdium. Quid comperendinari lubet, & lentis consilijs fugam moliri vitiorum? Quid tergiuersaris? Verùm occinere pergis, vbi coniunx in fata concesserit, vbi filiæ quæsiero benè nummatum sponsum, vbi filium ablegauero, vel in aulam, vel in cœnobium aliquod opulentum: vbi his me curis tam necessarijs expediero, tam serio pietatem colam, ac recisis remoris omnibus ad crucifixi vexillum prouolabo. Insane: Quid si hac nocte rapiant à te animam tuam? An ignoras moram mora seri? Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Arnobius in Psa. 57.

Deut. 32.

Lucæ 12.

Cùm autem sero factum esset, dixit Dominus procuratori suo. Voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis. Tum sero est vnicuique, ait Eusebius Emissenus, quãdo aduenit vltimus dies. Requiei, & vitæ æternæ pretium

Eusebius Emissen.

labor eſt, modò à filijs Dei qui ſpiritu Dei aguntur ad operas, proficiſcatur. Mercedem promiſit, mercedem dabit. Homo promiſit qui poteſt fallere, & opus aggrederis: quanto promptiorem eſſe te oportet ad operãdum, quando promiſit veritas? Quid ſi, inquis, ſim in vinea, & nõ laborem. Audi patremfamilias, voca, inquit, operarios. Eſt aurum, & argentum, & gemmarum copia; ſunt amplæ domus, predia ſplendida, mancipia, & animalia numeroſa. Non hæc eſt merces, ſed vita æterna, quæ infinitis partibus hæc omnia excellit, hanc ſpopondit, hanc dabit. Sed non dabit otioſis, ſed operantibus,
Ioan.9. dum dies eſt. Ioan. 9. Operamini dum dies eſt, veniet nox, quando nemo poterit operari.

Incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Nouiſſimè vocati prius mercedis, ac diurni denarij præmio donantur. Nam qui ſub ſeculi finem inter fidos labores, operaſque, ſanctam exhalant animam, non tam diu anhelant ad reſurrectionem. Primi enim illi patriarchę, ac prophetæ diutiſsimè expectauerunt.

Cùm veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi. Acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. D. Auguſtinus lib. de ſancta virginitate ca. 26. ita ſcribit: Denarius eſt commune quid, quod omnes habebunt ſancti, ſcilicet vita æterna.
1.Cor.15. Stella tamen differt à ſtella in gloria & claritate, quia in ipſa vita æterna diuerſa fulgebunt
Ioan.14. meritorum lumina, & manſiones multæ ſunt apud patrem, ac per hoc in denario nõ impari,

non

non viuet vnus altero prolixius, sed in multis mansionibus honoratur alter altero clarius. Quemadmodum enim vas plenum dicitur vino, sic & cantharus. Vtrumque tamen plenum est pro suo modulo, & capacitate, liceat minus vini habeat cantharus quàm vas illud. Atqui dicet quispiam, igitur consequetur non omne desiderium beatorum fore quietum. Nam is qui minus gloriæ habiturus est, inuidere poterit ei qui plus est habiturus. Haud quaquam ô bone. Imò tanta erit ibi immensæ charitatis synceritas, tum erga Deum, tum proximum, vt & Deus laudetur, qui suam gloriam ita ad certam mensurã distribuit singulis, & in proximo vnusquisque diliget eius plenitudinem, haud aliter ac si sua esset. Quemadmodum si rex quispiã omnes filios vestiat auro, aut ostro, necessum erit filium eum qui agit annum decimum & octauum, pro ætate, & corporis mole plus aurati vel holoserici panni habere, quàm is filius habeat, qui agit annum decimum: & tamen iste non cupiet tunicam fratris, non enim propter ætatem corporisque imbecillitatẽ ferre posset: sic erit in gloria cælesti, vsqueadeò vt nemini quispiam inuideat. *Videatur D. Tho. lib. 3. contra Gẽtiles ca. 58. & 63.*

Venientes autem & primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi, &c. Et accipientes murmurabant. Si in regno cælorum quisque sua gloria foret contentus, cur legimus quòd primi ad similem denarium murmurauerint? An liuor, aut animi rancor in æterna illa angelorum, animorumque trãquillitate, est futurus? Nequaquam: Quomodo igitur murmurabũt aduersus patrẽ-

 familias

familias, cui summa charitate inhærebũt? Hic Euthymius nobis succurrit. Non est, inquit, in regno cælorum murmur, aut inuidia. Nam si adhuc viuentes animas suas pro hominibus ponũt, multomagis eos ibi videntes saluos esse gaudent. Erãt qui prò Paulo ceruices suas supposuerunt, dum hic in terris cum eo degerent, & in tranquillissima illa fœlicitate, quod illum cernent eximia prę se gloria conspicuũ, inuidebũt? Rectè igitur ita intellexeris murmur illud significare, tãtam ibi futuram Dei benignitatẽ, & liberalitatem erga gẽtes postremò vocatas, vt secundum humanum loquendi modum, quis de liberalitatis diuinæ abundantia murmurare posset. Quo pacto enim in Deum patrem ira, aut indignatione efferri possent, qui tanta eos & benignitatis, & liberalitatis gratia perfudit? Sed quid dicebant murmurantes.

Euthym. *Hactenus Euthym.* *Rom. 16.*

Hi nouissimi vna hora fecerunt, & similes illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus. Respicitur ad Iudęos quorum & iugum graue erat in veteri lege, & sarcina cæremoniarum pœnè intolerabilis, iugũ autem Christi suaue, & sarcina leuis, vt legis Matth. 11. Vel respicitur ad grauiores tentationes iuuentutis. Nam grauissimè hominem infestat Asmodæus,

Matth. 11.

Dum virides anni, & teneras tenuissima malas,
Lanugo vestit, dum feruet mascula bilis,
Concita quum repit circum præcordia sanguis.

Versus ex tempore profusi, & in ipso calamo nati.

At ille respondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam. Nõnne ex denario diurno conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. D. Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagia-

Aug. li. 2.

lagianorum,hunc locum explicat: Eis,inquit, qui parum intelligunt, poteſt acceptio perſonarum videri, vbi vineæ Dominus operarijs, qui vna hora opus fecerunt, tantū dedit,quantum illis,qui pertulerunt pondus diei & æſtus: æquales faciens mercede, quorum tamen magna diſtantia fuerat in labore. Sed quid reſpondit idcircò murmurantibus? Amice,non facio tibi iniuriam.Nónne ex denario cōueniſti mecum? Nempe hic tota iuſtitia eſt: Tibi reddidi, huic donaui,neque vt illi donarem, tibi aliquid abſtuli. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam eſt? Sicut ergo hic nulla eſt acceptio perſonarum, quia ſic alius gratis honoratur,vt alius nō fraudetur:ſic etiam cùm ſecundum propoſitum Dei vocatur alius, alius non vocatur, vocato gratuitum datur bonum, cuius boni ipſa vocatio principium eſt: nō vocato redditur malum, quia omnes rei ſunt ex eo, quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Et in illa quidem operariorum ſimilitudine,vbi vnum denariū acceperunt,qui vna tantum hora, & qui duodecies tantum laborauerunt, qui vtique ſecundum rationes humanas, ſed vanas, pro laboris ſui quantitate, duodecim denarios accipere debuerunt: vtriq; in bono coæquati,non alij liberati,alij damnati ſunt: quia & illi qui plus laborauerunt, & quod ſic vocati ſunt,vt venirent, & ſic paſti, vt non deficerent, ab ipſo patrefamilias habuerunt,&c. Sed ad idem hoc noſtrū propoſitum, eundem audiamus Auguſtinum,alibi: Deus,inquit,miſericors eſt. Cur ergo inquis,non omnibus. *lib. de bono perſeuerantiæ c. 8.*

nibus. Reſpondeo quia & iuſtus eſt iudex. Ac per hoc gratis ab eo datur gratia. Iuimus omnes ex vno in mortem, Qui liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoſcat. Si in remittendo debitum, bonitas: in exigendo æquitas intelligitur, nuſquam apud Deum iniquitas inuenitur. Recolamus illos operarios in vinea, qui toto die laborauerunt, & eos qui hora vna: Nempe cauſa diuerſa eſt impenſi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Ita eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla eſſet iniquitas, &c.

An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Oculus nequam, nihil aliud eſt, quàm iudicium nequam. Nónne eſſet peruerſum, et corruptum iudicium, ſi quiſpiã patremfamilias reprehenderet, quòd eis qui paululum laborauerint, videlicet ſeſquihora, ex mera animi liberalitate, ſub veſperum numeraret tres aſſes, quẽadmodum & ijs qui toto die ſudauerunt? Quod ſi quiſpiam cõtra hiſceret, nónne meritò obmurmuratori diceret: Quid tu es hominis? Cur fratris tui proſperitatem, ac meam pariter munificentiam ſiniſtro, & liuido limas oculo? Quid? An tibi diſcedit quippiam, quod illi accedat aliquid? Apage hinc quo, quaque libet. An mihi non licet vel meo ſudore, vel induſtria, partis, vt volo, vti? Quid auditores præſtantiſsimi, nónne eſſet huius patrisfamilias æquiſsima hęc oratio, & iniquiſsima operarij illius obmurmuratio?

Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Multi admo-

admodum vocati exierunt terram Ægypti, sed pauci, nempe Caleph & Iosue, intrauerũt terram promissam. Multi vocati à Gedeone, sed pauci vicerunt cum illo, ac trophæum statuerunt. Sed quinam, oro? Trecenti scilicet, qui operarij erant, nam manibus aquam hauserunt. Innumera per orbem sparsa terrarum iugera, sed pauca quæ nobis gignunt aurum, vel argentum. *Iudic. ca. 7*

Terra malos homines nunc educat atque pusillos,
Et melius semen ferre recusat humus.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Ex denario diurno. Græcè est ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, subintelligas κατὰ, Id est, pro denario in singulos dies. Budæus lib. 5. de asse, accuratissimè hunc locum expendit, asseritq́ denarium tres solidos & semissem valere, quãti ferè vinitores in singulos dies conduci solent. Tres illos solidos Parisienses, efficiunt in Brabantia ac Flandria, tres stuferos, quos vocant, cum semisse. Denarius verò iste, Romanam fuisse monetam quidam volunt, quod cap. 22. Matth. ostenditur, vbi Christus ait: Ostendite mihi numisma census: at illi obtulerunt ei denarium. Ex quo (inquit) Budæus, in denario fuisse effigiem vel Augusti, vel Tyberij, constat.

2.

An non licet mihi quod volo facere. Græcè est, An non licet mihi quod volo facere in meis, ἐν τοῖς ἐμοῖς? Illud in meis, potest ad personas referri. Operarij enim, quos promissa pecunia ad vineã inuitamus, iure nostri appellantur. Ego tamẽ malim, idq́ multò commodius, ad res referre, quàm ad personas. Volebat enim dicere, Nónne meis qualibus quali-

bus fortunulis, & facultatibus vti possum pro meo arbitratu?

3.

De horis verò id notasse suffecerit, quòd quidam eas referunt ad diuersas hominis ætates, vt primo mane intelligãtur vocati, qui in pueritia: hora tertia, qui in pubertate Deo seruire cœperunt: hora sexta, qui ætate matura: hora nona, qui vergente iam ad senium: vndecima, qui vltima senectute, aut in fine suæ vitę vocantur. Sic Eusebius Emissenus, & Euthymius, & complures alij his maiores, Hieronymus, Chrysostomus, & Theophylactus. Alij referunt, has horas, ad diuersas mundi ætates, vt primo mane vocati, intelligantur homines ab Adã vsque Noë: hora tertia, à Noë vsque Abraham: hora sexta, ab Abraham vsque Moysen: hora nona, à Moysę vsq; ad Christum: hora vndecima, à Christo vsque ad finem mundi. Et hæc posterior explicatio, quæ est Origenis, Hilarij, atque etiam Hieronymi, potior mihi videtur, & magis conuenit scopo Christi, qui vult ostendere Gentes æquandas Iudæis.

4.

Multi vocati, pauci verò electi. August. contra Cresconium grammaticum, lib. 3. cap. 66. Boni Christiani, qui, vt est Apocalyp. cap. 7. valde multi sunt, respectu malorũ valde pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum: Sic etiam, vt de Dei testamento dicam, quod factum est ad Abraham de semine eius, quod est Christus, multæ sunt stellæ, quas numerare non possumus, quibus tam grande cælum vndique circumfulget: & paucas tamen dicimus, comparatione harenæ maris. Fortè stellæ, signant spirituales Christianos, maris verò harena, carnales.

DOMI-

DOMIN. SEXAGESIMÆ EVANGELIVM.

Luc. 8. Mat. 13. Marc. 4.

QVVM *turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem: Exijt qui seminat, seminare semen suum.* Dominica superiore, pleraque diximus de his qui in vinea laborauerunt, deque eorum mercede. At modò nobis est ostendẽdum, quo pacto, imò quocibo isti operarij sese debeãt sustentare. Iustum erat vt operarij fideliter iam conducti laborarent, iustum quoq; erat vt mercedem reciperent, imò & iustum modò est, vt suam habeant alimoniam, quæ nihil est aliud quàm verbum Dei. Aurea est D. Ioãnis Chrys. sententia. Nihil apud nos sæpius auditur, quàm Dei verbum, & euangelium: & nihil rarius inuenitur, quàm viuere secundũ euangeliũ. Quod verbum mirè quadrat in nostrates, qui tertio quoq; verbo dicunt euangelion, euãgelion, sed dicunt tantum. Nam re vera ita nunc tam apud clericos, quàm apud laicos viuitur, acsi euangelium eiusque sacrosancta decreta nihil essent aliud, quàm anicularum deblateramenta, ac nugæ ficulæ, fabulæque meræ. Cæterùm Iesu cõcionem iam adornante, tantus erat affluentis vndique turbæ concursus, vt Iesus cogeretur cum dilecta discipulorũ suorum cohorte se recipere in nauim, ne vel ipse vel illi, ab irruẽte populo comprimerentur. Ingens erat populi fames, ingens audiendi Christi desiderium.

Aurea sententia Chrys. libello de compunctione cordis.

Exijt qui seminat. Sed vnde exijt (ait Chrys.) aut qualiter exijt qui vbique præsens est? Certè *Chrysost.*

non

non loco, ſed habitudinis, incarnationiſque diſpenſatione, nobis propinquior factus eſt. Quũ enim eum nos accedere non potuimus, ipſe ad nos exire eſt dignatus. Sed ad quid exijt, vt terram vepribus ſpiniſque occupatam perderet?
Theoph. Num vt agricolas, inquit Theophil. occidat, aut agrum exurat? Nequaquam, ſed vt terram nouo ſeminum fructu veſtiret & ornatu. Exijt, nec tamen venit vbi non erat, nec reliquit vnde egreſſus eſt, quia Deus vbique eſt, præterquã
Auctor operis imperf. in Matth. vbi eſſe noluerit. Exijt, inquit Theoph. è ſinu patris abſcondito, & conſpicuus factus eſt mũdo. Sed quis pondus & vim illius vocis, *Exijt*, expendere ſatis queat? Vnde exijt, qui omnia implet? Liceat pace tua Domine Ieſu, liceat mihi tua pace ita dicere: Exijt, ô homo à ſe, vt intret in te, imò vt te conuertat in ſe. Exijt à ſua maieſtate, à ſe exijt, vt inhabitet in te.

Qui ſeminat. Ille, inquit Auguſtinus, ſeminat,
Ioan. 4. qui principium fidei plantat. Ioan. cap. 4. Habemus de meſſe, hic verò eſt ſementis. Prophetæ plantauerunt & ſeminauerũt, Apoſtoli meſſuerunt. Gentibus tamen ſeminauerunt Apoſtoli, quia fundamenta fidei eis iecerunt. Meſſis autem gentium, eſt finis mundi: Tunc meſ-
Matth. 13. ſores erunt angeli, Matth. 13.

Seminare ſemen ſuum. Non debet ſeminare,
Albertus Mag. ait Albertus Magnus in Matthæum, niſi ſemẽ ſummi Agricolæ, quia quicquid diuerſum ſeminatur, producet meſſem adulterinam. Nõ ſunt ſemina Chriſti errores & hæreſes, quæ nonnunquam quæſtus ac lucri gratia, ſparguntur in vulgus.

Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, &c. Hæc dicens clamabat: qui habet aures audiendi, audiat. Verba hæc cùm ſint ex intimis Ieſu medullis profecta, & clamore ſuo terq; quaterq; venerãdo cõſignata, pronisſimis nobis auribus excipiẽda ſunt, ac pectoris ſcriniolo collocãda. Quid enim Dei verbo precioſius, quod & propheta Dauid auro & topaſio comparat, & filius *Pſal.* 118. Dei ſuo clamore commendat? Verè precioſiſſimum ſit oportet ſemen iſtud, ad quod ſeminandũ Deus pater poſt tot patriarchas, & prophetas, proprium tandem filium cælo deſcendere voluit. Et quid ceſſamus illud externis imbibitum hauſtumque auribus, cordium noſtrorum arcano ſinu recondere? Memoriæ proditũ eſt, Alexandrum magnum magni orbis domitorem, vbi incidiſſet poſt vltimam illam pugnã in ſpolia regia, reperiſſe vaſculum precioſiſſimum, in quo regis Darij vnguenta condi erant ſolita, quod cùm ei narraretur, miratus primum vaſculi precium: at ego, reſpondit, in eo recondam vnguenta, condam longè & ſuauiora & precioſiora, Homeri poæſim intelligens. At quid Homeri quamlibet expolita, quãlibet venuſta carmina at noſtri ſeminis, hoc eſt euangelij dignitatem? Alia res eſt. Et qui (malum) fit, vt non pari alacritate, pari reuerentia, illud non in nobis reponamus, quo Alexander ille vanam & mendaciorum omne genus fœcundã Homeri poeſim? *Qui habet aures (clamat Ieſus) audiendi, audiat.* Quis ita torpet totus, vt hoc clangore non accẽdatur: quis ita altũ dormit, vt hoc tonitruo non ſuſcitetur? Cur ſuper ſeminis fructu

Hebr. 1.

fructu non clamet, cùm ex huius fructificatione totus eius pendeat cultus? Semine hoc in fructus vberes ſurgente, anima Chriſti regnum efficitur: ſi non fructificat, fit atrium & aula diaboli. Fructus os inferni occludit, ſterilitas aperit. Super ſeminis huius fructu Deus, angeli, ſcripturæ, leges, præcepta, ſacramenta, minæ, promiſsiones, præmia, pœnæ, denique omnia tanquam in vnico verſantur cardine: & mirabitur quiſquam clamoribus anxijs, rei huius maieſtatem filium Dei hominibus explicare? Ve mortalium ſupinæ & craſſæ oſcitantiæ, qui cùm ad inanes tragædiarum atque comœdiarũ phaleratas, & ſcelerato nõnunquam fuco perlitas fabulas, vel totas aures, vel totas mentes referant, ad ipſiſsimum verò veritatis verbum vtraque claudunt? Pendet infœlix Dido cum
li. æneid. 2 ſatrapis & proceribus, cum nobilium mulierum choro narrantis Æneę ab ore, & Chriſtiani Chriſto clamante obſurdeſcimus?

Interrogabãt ergo diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola. Quibus ait: vobis datum noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Non quibuſlibet quęlibet cõmendanda aut credenda ſunt, neque cibus idem omnibus vtilis eſt. Quis enim non videt in quot morbos incidant infirmi, dum robuſtiorũ cibos auidius quàm temperantius ſumunt? Cùm Orpheus antiquiſsimus ille vates ſua poëmata pangeret, aures (inquit) obſeratæ & obturatæ futiles & inepti.
Exod. 25. Quid quod cæleſte illud manna apud Iudæos, non quolibet loco, aut communi vaſculo reponebatur, ſed vrna ſolum aurea? Cibum huius

terræ

terræ vulgarem, etiam strata mensa mappę, quę candore etiam niuem superet, imponis, & panem cælestem (nam cælo demissum est mãna) vili excipies panniculo, aut sordido lintheo? At quod istud manna quibusdam minutum videatur, facit sermonis humilitas sub verbis ferè sordidis ingentia mysteria, & sub arido literæ tectorio, succos claudens omni nectarę suauiores: vt rectè de verbo Dei quis dixerit modò, præsertim vbi ab erudito & facundo ecclesiaste fuerit propositum, manhu, hoc est, quidnam est hoc? Nihil enim habent sacræ literæ, nihil euãgelium non dignum accuratissima consideratione, ac ne apicem quidem vnum, nec Iod vnũ superuacaneum, ac otiosum. Quod quum sit multo verissimum, non oportet rudi vulgo penitiora huius seminis credere mysteria, quia nõ illis est hoc datum, non illis est donum, vulgus enim circa superficiem & corticem literæ versari potest, & sub inuolucris conspicere Deum: ecclesiæ verò proceres cortice fracto, latentia intus mysteria, quatenus res & vsus postulant, cum reuerentia aperire. Et ita certo, & necessario ordine boues arabunt, & asinæ pascentur. Sufficit enim & vulgo, fidem suam habere implicitam in fide maiorum. Qua de re elegantissimè D. Thomas 22. quæst. 2. ar. 6.

Exod. 16. Numeri 11 · *Iob. 1.* · *S. Thom. 22. quæst. 2. ar. 6.*

Vt videntes non videant: & audientes non intelligant. Eusebius Emissenus, Vt videntes vmbram, non tamen videant veritatem, & audiẽtes auribus corporis, non intelligant auribus cordis. Vt impleatur nimirum in eis prophetia Esaiæ, Auditu audietis & nõ intelligetis, & videntes

Esaia ca. 6

dentes

dentes videbitis,& non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, &c. Videtur igitur dicere Dominus: quales isti ad meos sermones affectus adferunt,ita illis loquor. Nam & manna talem attulit saporem manducantibus,quale illi attulerunt palatum, quale desiderium. Sapientiæ cap. 16. Conduxerit hic Origenem audire,: Si quis manna assumpsit, vt præceperat Deus,nutriebatur ex eo: si quis verò cõtra Dei præceptum, & contra diuinitus statutum modum voluisset assumere,non frueretur eo vt vitali cibo,sed vermes ex eo ebullirent. Atque ita fiebat, vt vna eademque species mannæ, alijs quidem gigneret vermes,alijs salubrem cibum conferret. Nostrum manna verbum Dei est, quod alijs efficitur ad salutẽ, alijs cedit ad pœnã. Hinc Dominus,vt vidẽtes nõ videant, &c.

Sapient. 16.
Origenes homil. 1. in Numeros.

Semen est verbum Dei. Quare verbum Dei comparatur semini? quia ex prædicatione verbi tãquam ex sparso semine, surgit initium bonæ voluntatis. Quod elegantissimè in prælectionibus suis ostendit M.N.M. dum hunc incidisset in locum. Aperto igitur sinu,semen hoc excipere nos oportet,si bonorum operum fructus in nobis cupimus pullulare, & consurgere. Magna enim animorum alacritas, vbi hoc spargitur adhibenda. Id quod vos eleganti similitudine, commonefacere volo. Cùm rex quispiam inauguratur per idoneos & delectos homines,missilia spargũtur in vulgus, aurum videlicet atque argentum. Mox tum conspicimus,quanta contentione se parent omnes,quo fiant munificentia regali paulo ditiores. Hic pileum,

leum, ille ſinum parat, nonnulli pallium, plurimi cauas, atque exporrectas manus extendunt. Denique in hoc ſunt toti, vt quàm plurimum colligant nummorum. Sed obſecro quid colligunt aliud quàm rem vanam, & nihil profuturam? Quanto potius oportet animæ gremium, ac ſinum exporrigere, vt verbum Dei excipiatur: verbum Dei, inquam, quo ſine omnia vel nihil ſunt omnino vel nihilo ſimilia? Sed operępretium fuerit referre ac cognoſcere, quis ſit ſeminis huius ſeminator, ſeu verbi Dei preco ac miniſter. Sanè qui in apoſtolorum labores introierunt, epiſcopi. Sic enim habet Concilium Tridentinum ſeſſ. 8. can. 4. Mandat ſancta ſynodus, vt Epiſcopi (quorum hoc præcipuum munus eſt) in eccleſia ſua, aut ipſis impeditis, illi quos ad hoc aſſument: in alijs eccleſijs parochi, aut eorum expenſis, ij quos conſtituet epiſcopus: prædicent ſaltem Dominicis diebus, & ſolennibus feſtis: tempore autẽ ieiuniorum Quadrageſimæ & Aduentus quotidie, vel ſaltẽ tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, & ſi quando alias id opportunum duxerint. Iam quæres: Num & Tridentina Synodus commõſtrauit quid prædicare debeant? Monſtrauit. Ita enim habet ſeſſ. 6. cap. 8. Mandat ſancta Synodus paſtoribus & ſingulis curam animarum habentibus, vt frequenter inter miſſarum ſolennia vel per ſe vel per alios ex ijs quę in Miſſa leguntur, aliquid exponant, atq; inter cætera ſanctiſsimi huius ſacrificij myſteriũ aliquod declarent, diebus pręſertim dominicis, & feſtis. Venerabilis Hoſius Confeſſ. Polonicæ *Concilium Trident.* *Venerab. Hoſius.*

cap.54. Hæc prima, inquit, & pręcipua episcoporum cura esse debet, sana in ecclesia doctrina. Neq; est alicuius magistratus prophani munus, pro suo arbitratu verbi ministros instituere, multo minus vulgi, propterea quòd scripsit optimè & verissimè de vulgo M. Tullius, quòd in populo, neque consilium, neq; ratio sit vlla, imò neque discrimen, neque diligentia: semperque viri sapientes ea quæ fecisset populus ferēda, non semper laudanda duxerunt. Quapropter D. Ioannes Chrysost. homil. 2. in primum caput euangelij Ioānis, Si quid sit populus (ait) quæris? est quiddam tumultus, perturbationibusque plenum. Verùm huius nunc seminis necessitatem, vel vtilitatē ostendamus. Catechismus Concilij Tridētini, vbi agit de sacramentis in communi: Totum, ait, ædificiū Christianum nisi hac tempestate verbi diuini prædicatione & sacramentorum vsu vndique fulciatur: magnopere verendum est, ne magna ex parte labefactatum corruat: vt enim per sacramenta in vitam suscipimur, ita hoc veluti pabulo alimur, cōseruamur, augemur. Idem catechismus fol. 538. Verbum Dei cibus est animæ. Nam Sapientia Prouerb. ca. 9. dicit: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Huius autem verbi facultatem quum adimit Deus mortalibus, fame tū dicitur premere genus humanum, sic enim apud Amos prophetam cap. 8. Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiēdi verbum Dei. Quemadmodum autē præsens mortis argumentum, & signum est, quādo homines

M. Cicero oratione pro Plācio.

Prouerb. 9

Amos 8.

mines non possunt cibum sumere, vel sumptũ digerere, aut retinere: sic magnum desperatæ & deploratæ salutis argumentum est, vel cùm non quęrunt homines verbum Dei, dum abest: vel quum non sustinẽt, dum adest: sed illam potius euomunt impietatis vocem: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Si igitur verbum Dei animæ, vt panis corporis est cibus, quis non videt eius necessitatem pariter & vtilitatem? Porrò me nuper Anduerpię rogauit vir cordatus, & prudens, an ne satis esset illi diebus Dominicis & solennibus Dei verbũ, seu semen, per omnes bibliorum paginas sparsum, legere, & in cibum colligere domi suæ, neque templa vnquam audiendi concionatoris gratia accedere. Respondi, non sufficere, primo quòd Ecclesiæ præceptum esset de audiẽdo sacro & concione, vbi esset integrum, & opportunum. Deinde quòd habeat nescio quid latentis energiæ, viuæ vocis actus, vt ad Paulinum scribit D. Hieronymus. Postremò propter D. Augustini sententiam, qui ita ait in prologo librorum suorum de doctrina Christiana: Non tentemus eum cui credidimus, ne talibus inimici versutijs & peruersitate decepti, ad ipsum quoque euangelium audiendum atque discendũ, nolimus ire. Et paulò pòst: Caueamus tales cogitationes superbissimas, & tẽtationes periculosissimas, magisque cogitemus ipsum Apostolum Paulũ, licet diuina, & cælesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamẽ missum, &c. & Cornelium quãuis exauditas orationes eius, eleemosynasque respectas ei ange-

Iob. 21.

Hieronymus epistola ad Paulinum.

Aug. in præfatione de doctrina christiana.

Act. 9.

Act. 10.

lus nunciauerit, Petro tamen esse traditum imbuendum. Et poterant vtique hæc fieri per angelum, sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus, verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verũ
1. Corint. 3 esset quod dictum est, Templum Dei sanctum est, quod estis vos: si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod hominibus tradi vellet, de cælo, atque per angelos personaret? Deinde & ipsa charitas quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis astringit, nõ haberet aditum refundendorum & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent. Profectò, nescio quid alios, mirificè me afficiunt hæ rationes D. Augustini. Ex quibus, viro illi amico, prorsus persuasi quod volui.

Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Maximè id studet diabolus, vt cum semine verbi Dei surgat in homine incredulitas, quæ vbi semel recepta fuerit, non sinit semen iactum crescere. Imò tum non tantum tribuitur fidei, verbo Dei, quantum decet: sed homines illecti voluptatis & illecebrarum carnalium longo vsu & consuetudine, non possunt sibi polliceri, quòd inde diuulsi, mundo possent repudium mittere, sed planè pusillamines efficiuntur, non considerantes Dei potentiam. Quod vbi perspexerit diabolus, confestim aduolat & abripit semen. Imo quemadmodum fieri solet gnauis agricolis agros suos serẽtibus, vt ingens coruorum copia sequatur, ac se-

a c semina quæ vel in via, vel in terræ superficie iacent, rostro abripiant: ita ad seminatum Dei verbum aduolat diabolus, & nisi intra pectoris latebras fuerit reconditum, sed in auris superficie appareat, mox sine negotio & labore aufert. Quapropter D. Augustinus epistola ad Vitalem, docet Deum orandum esse, vt homines credant, & vt accipiant doctrinam Christi, nec contradicant legi eius. Et certè Deo agendæ gratiæ, quod quidam ex nolētibus eius doctrinam, fiant volentes. Et D. Cyprianus orauit pro inimicis fidei, vt etiam ipsi ad eam conuertantur. Nunquid Apostolum Paulum habentem talia vota culpabis? de quibus ait, Roman. 10. Bona quidem voluntas cordis mei, & deprecatio pro illis in salutem. Laborat diabolus vt verbum à fratribus nostris tollat, nos contra satagamus, vt illius conatus frustretur, vtq; illorum erga verba veritatis & fides, & reuerentia augeatur. Figuram habemus insigne, maximè Iudic. cap. 6. vbi ita legimus. Quumque sæuisset Israël, ascendebat Madian, & Amalech, & cæteri orientalium nationum populi, & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant. Varij isti prædones nihil sunt aliud, quàm aduersarij seminis diuini, qui à concionibus auditores circumuolant, & vt lęta semina legant & auferant, nullum non mouent lapidem. Quod si cor tuum insidijs eorum fuerit opportunum & apertum, non aliter ac publica via quæ nulli occlùditur, actùm est de semine. Sed prophetam audi: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Ambrosius

Aug. epistola 107.

Iudic. 6.

Psal. 118.

in eum versum: Mysterium regis abscondere bonum est. Peccat Deo, qui commissa sibi mysteria, putat indignis euulganda. Lucæ 2. Laudatur Maria, quæ conseruabat omnia verba in corde suo. Qui aurum posſidet, ait Theodoretus, vel argentū, vel lapides pretiosos, non foris hæc proponit, sed intus in thalamis & cellis occulit, vt manus eorum qui parietes effodiūt, declinent. Habent reges arcana sua ac verba, quæ cælantur ab aulæ consortio alienis: habet euangelium regni sua secreta, nec sunt omnia in publicas vias, cum puluere & cinere profundenda. Non itaq; verbum Dei relinquēdum est in vijs, vbi canes & porci omnia vel defœdant, vel vorant, subleguntque aduolantes dæmones, verbi euangelici iuratisſimi hostes.

Luca 2. *Theodoretus in Psal. 118.*

Qui supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & tempore tribulationis recedunt. Petrosi homines erant Pharao & Zedechias, qui verbum quidem audierunt, sed quia non inhærescebat animo, confestim vbi visum fuit, à verbo recesserūt. Vtinam nobis Dominus tribuat quod promisit Ezech. 36. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo cor carneum. Pulchrè author operis imperfecti in Matth. Quemadmodum, inquit, si pluuia super lapidē cadat, desuper quidē sudat, intus autem lapis siccus est, quia nō habet intus humorem: Sic in homine fit duro, si verbum Dei loqueris, sonus quidem percutit aures carnales, in cor verò nihil descendit.

Ezech. 36.

Cum gaudio suscipiunt verbum. Interdum vbi

magno

magno animi feruore, commouet concionator ſuorum auditorum affectiones, fit non raro vt illis lachrymæ oculis cadant, ac miro incredibilique plauſu pendent à loquentis ore. Verùm quod audierunt, non penitus habent in pectore defixum, quapropter nec radices agit, tãta voluptate exceptum verbum. Vnde ad tempus obtemperant, verùm ad exortam malorũ procellam deficiũt. Exempla inuenies apud Iſraëlitas, qui nouo aliquo miraculo adiuti, aureos montes, tum Deo, tum prophetis pollicebantur, imò & clamabant: Dominus ipſe eſt Deus, 2.Reg. 18.
Dominus ipſe eſt Deus: atque adiunxerunt cor & ſtudia ad ſeruiẽdum Domino Deo ſoli. Poſt verò iterũ reuerſi, ſicut canes ad vomitum, facili momento ad intermiſſam idololatriam reuertebantur. Quod nuſquã patet clarius, quàm in li. Iudic. vbi toties à varijs ſubinde iudicibus erepti à tyrannide & intolerabili ſeruitute regum & principum, rurſus vt cancri, recurrunt ad ſolitas carnium ollas, & ſemel relictam Ægyptum.

Tempore tribulationis recedunt. Olim dum fidei ac verbi ſemina, vel ab Apoſtolis, vel eorũ diſcipulis in orbe ſpargerentur, ingens quotidie fiebat hominum accurſus. At vbi imperatores ac principes, qui nondum Chriſto nomen dederant, gladium vagina liberare cœperunt, & admotis lictoribus nouitijs fidelibus dictarent, *Aut nega, aut morere*: Nonnulli relicto ac repudiato aratro retroſpexerunt. Sic lætè nonnunquam noua ſata emergunt, videnturque ſpem multam oſtẽtare, ac vberem meſſem polliceri

agricolis, ſed vbi perſecutionis ſol ardens, vel ignis potius vim ſuam exerere cœperit, euaneſcunt præclara illa primordia, cùm quibus vna & ſpes omnis marceſcit, exareſcitque. Optimè quadrant hic verba D. Petri Apoſtoli, epiſtola
1. Petri 4. 1. cap. 4. Chariſsimi (inquit) nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis ſit, quaſi noui aliquid contingat vobis, ſed communicãtes Chriſti paſsionibus gaudete. Venerabilis
Beda. Beda commodè ad noſtrum propoſitũ textum hunc interpretatur. Non idcirco (inquit) quis peregrinum à Chriſti mẽbris ſe exhibeat, quia præſentis ſæculi feriatur aduerſis. Pro feruore, Græci legunt, ἐν πυρώσει, in exploratione per ignem, Nam in ea probatione tanquam aurum igne coctum, & repurgatum, clariores euade-
Sillius Italicus lib. 4. tis. Id poetam quẽdam non latuit, cum diceret:
Explorant aduerſa viros, Perq; aſpera duro,
Nititur ad laudes virtus interrita cliuo.

Cæterùm rogandi Superi, vt nobis cor adimant petroſum ſeu lapideum, inſerantque cor molle, & carneũ, quod facilè cedat verbo Dei. Nec fruſtra id rogabimus (ſpero) Niſi enim id facere poſſet Deus, ait Aug. lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 14. non diceret per prophetam:
Ezech. 36. Auferam ab eis cor lapideum, & dabo cor carneum.

Quod autem inter ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt: & à ſollicitudinibus, & diuitijs, et voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur. Mirum eſt, inquit Gregorius, cur Dominus diuitias dixerit eſſe ſpinas, cùm illæ delectent, iſtæ pungant? Et tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum pun-

punctionibus, mentem lacerant, & cùm vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Et tamen ita vehementer mortales amant ſpinas iſtas, vt incredibile ſit dictu. Profectò ſpinæ ſunt. Quo enim plures congerit ſibi quiſque corraditque nummos, tanto plus illi congeritur & curarum, quæ mentem omni ſpina crudelius pungant, iuxta illud Horatij:

Creſcentem ſequitur cura pecuniam. *Horatius.*

Crates Thebanus pertęſus harũ ſpinarũ, credo, ingẽs auri põdus in mare deiecit. Abite, inquit, malę diuitię, ego mergã potius quàm demergar à vobis. Author eſt Diogenes Laërtius. Audite nunc hominem ſpinis & aſperis vndique ſentibus obuolutum & incinctum. Lucas cap. 12. graphicè eum depingit. Sed audite quàs voces ei extundãt ſpinæ iſtæ. Quid faciam? deſtruam horrea mea. Audiamus & Auguſtinum: Per diem vexaris laboribus, per noctẽ timoribus, vt ſaccellus tuus impleatur nummis, anima tua febricitet curis. Quantis quotque ſpinis compunctũ cor habuit Veſpaſianus imperator, qui vaſcula vrinaria Romę commentus eſt, vt inde vilis lucelli nonihil corraderet. At Tito filio, res ea indigna viſa eſt, ex lotio lucrum quęrere. Quod cùm non ignoraret pater, ex prima penſione vectigalis vrinæ, filij ſui Titi naribus admouit, ſciſcitãs num odore eo offenderetur: & illo negante, atqui ea, inquit, ex lotio eſt. Authores huius Tranquillus & Zonaras. At nunc fortè obiecerit quis, Sollicitudinem & curas diuitiarum lubẽter fatemur ſpinas eſſe, anxium enim & minimè quietum efficiunt hominem,

Diogenes Laertius.

Aug. ſermone de Sexageſima.

Suetonius Tranquil. Ioannes Zonaras.

ſed quo merito vitæ noſtræ voluptates ſpinæ cenſendæ, aut æſtimandæ ſunt, quæ potius curas & dolores mulcent, & leniunt? Quin anxijs, immodicíſque curis nos nonnihil compungi, ac lancinari vltro ſuſtinemus, vt ſollicitudine aliquãdo ſoluti otioſi, & ſecuri, voluptati, delitijſque demus operam. Reſpondeo, honeſtas quaſdam eſſe voluptates, quibus labore & ſollicitudine delaſſatũ remittimus, & recreamus animum. Porrò de ijs non agit hic ſaluator, ſed de his tantum, quæ hominem effœminaut, redduntque prorſus ipſis brutis, quæ in ventrem prona finxit natura quam ſimillimũ, cuius generis ſunt gaſtrimargia, crapula, vaga libido, ac fœdi animoq; ingenuo indigni amores, quibus peſtibus, vt eleganter Cicero libello de ſenectute, nullæ poſſunt homini eſſe capitaliores. Quas vtinam (vt mouet Ariſtoteles) non venientes, ſed abeuntes, hoc eſt non à fronte, ſed à tergo contemplemur. Nam etſi prima fronte, primoque occurſu blandiantur, vbi nobis ſui copiam fecerint, relinquunt in animis ſtudioſorum ſuorũ mille ſpinas & aculeos, mille cruces, quę infœlices propemodum in deſperationis baratrum trahũt: vt interim nihil dicam de corpore quod Venus aurea, præſertim ſi Bacchus & Comus (præclari ſanè Dij) coniungantur, pluſquam luteum & luridum, exſuccũque efficit. Verùm hanc melius dicent, ac perſuadebunt medici. Perinde enim atque manus ſpinis ac vepreto iniectas, vndiq; cõſtringunt, cruentant, dilaniantque aculei: ita molles delitiæ pedibus, manibus, capiti, oculis, renibus, denique mem-

Cicero de ſenectute.

membris ſtoporem,doloremq; inducunt. Age verò candide auditor,quibus, niſi voluptatibus iſtis,tot morborum genera,quæ corporis valetudinem facto veluti agmine,oppugnant,accepta feremus? Aures auertite,imò vt voluptates quæ abeũtes ita afficiunt, contẽnatis,aures potius aduertite,cephalæa, tremor,vertigo, oculorũ ſuffugio,chiragra, podagra,prurigo,pſora, ficus, ſeu morbus gallicus, bubo, ſiue vlcus inguinarium,deniq; paralyſis, nónne delitiarũ & fœdæ voluptatis ſunt germina, quæ omnia ſpinas eſſe negare quis poſſet? Pulchrè hic Adamus Sasboltius. Quare,inquit,ad hæc mala exprimẽda,Latinis deſtituimur vocabulis?nónne idcirco quòd olim in Italia, cùm exularet voluptas,ignoti erãt hi morbi? Neq; enim Roma cùm laborando & ſudando viuebat & vigebat, hęc malá cognouit. At Græcis qui pergræcãdi ſtudium deponere nolebãt, morborum inuenta vocabula. Iam ſtimuli podagræ,chiragræ, ac pſoræ, nónne quibuſlibet ſpinis grauius pungunt? Vt interim malè affectæ conſcientiæ cruciatus,& ſtimulos,ſilentio hic ſepeliam. *Adamus Sasboltius Delphenſis.*

Quod autem in terram bonam cecidit, hi ſunt qui corde bono & optimo verbum retinent, & fructum adferunt in patiẽtia. Notantur hic illi,qui corde ſyncero, attento, & vacuo ſermonem ſuſcipiũt ſalutiferum, memoriæque ſuſceptum recondunt, ac pœnitus in intimos demittunt affectus, ita vt nullo malorum incurſu dimoueri poſsint à ſemel recepto ſtudio pietatis. Porrò ex naturali ſemine facilè colligimus, quomodo verbi diuini ſiue annuntiati euangelij

ſemen,

ſemen, fructum ſuum adferat in patiētia. Quot quæſo aëris iniurias ſemen patitur naturale? Grandinem, niuem, pluuias, tempeſtatis hyemiſque perfert rigorem: & tandem multiplici cum fructu ac fœnore terram veſtit, atq; agri-
Ioan. ca. 12. colam ditat. Niſi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Sic ad eundem modum ſe habet verbum Dei, quo magis premitur, magis infeſtatur, eo ſurgit vberius & copioſius. Id quod
2. Cor. 11. Paulus oſtendit in hodierna epiſtola. Multis enim D. Paulus tribulationibus atteritur, multis probris ferè obruitur, multis contumelijs aſpergitur, denique multis iniurijs inceſsitur, neque tamen verbum charitatis extinguitur, ſed patientiæ promptæ adminiculo aduerſa omnia, incurrenteſq; moleſtias facilè ſuperat, conſtanterque, vt Chriſtiani gregis ducem ac generoſam indolem, facilè agnoſcas. Sed vis ne
Rom. 8. ex oratione virū hunc agnoſcere. Rom. 8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum an perſecutio, an gladius? Sicut ſcriptum eſt:
Pſal. 43. Quia propter te mortificamur tota die, &c. Pſal. 43. Quin & generoſum iſtud euangelij
1. Corint. 1 ſemen, verbum crucis appellat. Sed conſidera, inquit Theophilactus, Euāgeliſtę diligentiam, quomodo dixerit de his qui ſaluantur, quòd acceptum ſermonem retineant. Hac enim nota ſeu potius ſigillo, inſigniuntur filij Dei. Nam filij damnationis (quos ſupra per viam intelligi diximus) nequaquam retinēt, ſed picis, & cor-

uis,

uis, infamibusque volucribus alijs deuorãdum, in aperto iacere sinunt. Qui certus character notaque est prauorum hominum. Hoc propositum optimè confirmat historiola illa Genes. 40. vbi narrat Moyses de pistore Pharaonico, *Genes.* 40.
cuius cibos cùm volucres comedissent, Ioseph ab eo consultus aiebat signum & præsagium esse damnationis. Sic indubiè si volucres cæli sinimus comedere cibos nostros, nisi pœnituerimus propter ingentem verbi Dei contemptum, periculum damnationis non euademus.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Semen est verbum Dei. Omnis sermo, maxime qui diuulgatur, etiam apud prophanos scriptores semen appellatur, quia ad auditores adminiculo vocis spargitur: vnde & disseminare sermonem. Et D. Paulus ab Atheniensibus quibusdam σπερμόλογος, hoc est seminiuerbius, seu verbisator dictus est.

2.

Qui habet aures audiendi, audiat. Hoc est qui habet donum credendi, credat. Hoc propter credentes dicitur, vt intelligant se à Domino accepisse quod credant, nec suis id viribus asscribant. Vide August. epistola 107. ad Vitalem.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA EVANGELIVM.

Luc. 18. *Matth.* 20. *Marc.* 10.

Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis*. Duodecim Apostolos istos, nihil opor-

cto suorum animos formabat, firmabatque, aduersus tempestatem omnium grauissimá, quæ iamiam instabat, à cuius etiam commemoratione vehementer abhorrebat eorum animus. Imò & ciuitatem ipsam, vbi tam indigna passurus erat magister eorum, odire iá, nec æquis oculis aspicere, nec patiētibus auribus eius nomen audire poterant. In hoc igitur itinere pręcedere non potuerunt. Alibi nonnunquá præibant ipsi, vt cùm esurientes vellerent spicas, hic *Matth. 12*
verò sequi decebat. Difficilè siquidem iter est, *Marci 2.*
ascendere Hierosolymá. Fortium & robustorum est, in quibus, neque mundus, neque caro quicquam habent suum. Pręcedit itaque Iesus, quod sanè commodè fecit, vt illis metum adimens, animum adderet, dum eum tam alacri & veluti gladiatorio animo, ad celeberrimæ pugnæ locum properare cernerent. Sic omninò, sic præclari olim imperatores factitare solebāt, nec cum Thrasone illo Terentiano, stabant post principia. Nam primos ferè, se periculis bellicis obijciebāt. Sic Iudas Machabæus, dum suos trepidare cernere t, prodigus a nimæ, flumen illud quod castra Timothei à suis dispesceret, primus insilijt, quo facinore tam præclaro ac audaci, & hostem qui aduersam ripam tenebant, submouit, & suas secum cohortes protraxit in pugnam. Facta autem ingēti hostium
cede, trophęum statuit Iudas. Non minoris aut *1. Macha. 5*
obscurioris virtutis erat regis Saulis filius Iona- *1. Reg. 14.*
thas, dum, vt ad hostium castra perueniret, cum armigero vnico sese ostendit, ac principium celeberrimæ victoriæ fuit. Quod, si prophana & exter-

externa non respuimus, Iulius Cæsar (narrante Suetonio) perpetuo, dum signa hostibus inferri iussisset, in prima acie ante signa versabatur.
Suetonius Tranq. Sed verba ipsius Suetonij audiamus, Cæsar in agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat capite detecto, seu sol, seu imber esset.
vergil. lib. 10. Sic & de Pallante Euandri filio legimus, quòd in densos hostes proruperit.

Tradetur enim gentibus, & illudetur, & conspuetur, & flagellabitur: & postquam flagellauerint occident eum. Primum se dicit tradendum gentibus, nec tamen aperit, quòd ab vno Apostolorum proditionis facinus patraretur. Id enim cœna vltima dicẽdum reseruauit. Verum apud Matthæum, ait se morte condemnandum à principibus sacerdotum, quod vel tunc completum fuit, quando in atrio Cayphæ conspiratis animis clamarent, reus est mortis: vel quãdo cum plebe instigata, & inflammata coram Pilato præside vociferarentur, Crucifige, crucifige eum. Imò ab his sacerdotibus, cũ Caypha episcopo, traditus est gentibus Pilato & stipatoribus eius, vt per eos fieret executio, quę per Iudæos fieri non poterat. Admirabilis sanè fuit hæc Christi passio. Omnia verò dignissima sunt consideratione, etiam attentissima. Porrò quod se dicat illudendum, omnia excedere videtur. Non enim satis videbatur, sanguinis preciosissimi auidis Iudæis, incomparabilem illam paradisi arborem excoriare, vel potius excorticare, & largo cruoris flumine pingere, nisi & multis sannis, opprobrijs, contumelijsque perstringerent. Quid in arido ligno fiet? Luc. 22.
Lucæ 23. et 22.

legis,

legis, quòd velabant faciem eius, & illudebant ei dicentis: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Sic & veste coccinea ei illusum fuit in domo Pilati. In illusione Christi multi erant congregati: Nam nusquam nisi à multis ei fuit illusum, siue Caiphæ, siue Herodis, siue Pilati aulam respicias. Pulcherrima huius rei figura Iudic. 16. vbi Sampson iudex Israël fuit *Iudic.* 16. comprehensus, quem etiam statim interimere potuissent, oportebat iudicis nostri Iesu plenã exhiberi figuram. Primò verò eum molere fecerunt in pistrino, existimantes eum non esse præstantiorem bestia: pòst duxerunt eum in tẽplum Dagon, vbi variè ei fuit illusum. At ille cernẽs amarissimè secum agi, mori potius elegit, quàm ab idololatris ob religionem irrideri. Quapropter fusa precatione, comprehensis columnis ac conuulsis, domum euertit, ac quicquid ibi hominũ fuit, secũ pertraxit in mortem. Vide Chrys. homil. 4. de varijs in Matth. locis.

Tertia die resurget. Quidni resurgeret, qui in sepulchro nequiuerit contineri, imò nec corrumpi? Id pulchrè Psal. 15. Dauid: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sic non potuit nisi tribus diebus totidemque noctibus, Ionas propheta, in stomacho ceti permanere. Basilius homilia 1. de ieiunio, ait, lapidem quẽdam esse, quem Græci Amianton appellant, idcirco quòd inquinari non possit. Lapis is igne non domatur, sed flammis iniectus, ignescere quidem videtur, & in prunam verti: quem tamen si flammis eximas, perinde ac si aqua expurgatus, ac candidatus fuerit, apparet mun-

dior. Huiusmodi erant trium illorum ephebōrum corpora, dum igne fornacis demersi essent ac sepulti. Sic igitur Christi caro sanctissima, omni lapide purior & solidior apparuit in sepulchro. De lapidis huius natura
Dioscorides li.5 c.147. & vi arcana consule Dioscoridem, libro 5. càpite 147. Hic omnes Christianos commonitos velim, ne procrastinent cum Christo rege suo, cū Ionatha suo, cùm nihil sint aliud, quàm armigeri eius, per scopulos & montes etiam, ad crucis vexillum cōuolare: quod si præstiterint, erunt olim eorum corpora perinde atque amianton & purissima, & immortalia. Nam vti
Rom. 6. Christus caput nostrum resurgens iam nō moritur, sic & membra corporis exsurgentia, am-
Rom. 8. plius non attentabuntur morte. Si tamen cōpatimur, vt conregnemus vel conglorificemur. Si spiritus enim eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Su-
1. Corin. 6. mus enim (vti Paulus alibi ait) templa spiritus sancti. Corpora igitur nostra viuificabit iterum, vt sint æterna spiritus habitacula. Ita vt spiritus immortalis, & incorruptus, habeat immortalia templa & incorruptibilia. Imò templa illa ful-
Matth. 13. gebunt non aliter, atque sol. Id quoque Sapien-
Sapient. 3. tiæ 3. ostenditur. Fulgebunt (inquit) iusti, &c.
Dominicus à Soto in 4 sent. di. 49 Habebunt enim, ait Dominicus à Soto, lucem inhęrentem sicuti sol, & quidam lapides pretiosi, qui in obscuris etiam locis lucent. Cyrillus
Cyril. catechesi 18. Hierosolymitanus. Catech. 18. ait, quòd Deus præuidens quorundam incredulitatem, vermibus par-

bus paruulis æstate lucidum corpus dedit. Qui igitur effecit vt vermes splendeant, multò magis illustrabit hominem. Sed quomodo, inquiet quis, corpora tam sordida, tam lurida talem habebunt claritatem? Respondeo; an ne Deus est omnipotens? Qua virtute mutata est manus Moysis, vt vna esset hora sicut nix leprosa, & rursus munda & restituta? Proculdubio fiebat id mandato diuino, quod mandatum etiam in resurrectione efficax erit. Videtis clarissimi auditores, per regiam crucis viam, grassandum ad solidos resurrectionis honores. Hac in via præit rex noster Christus, proximè sequitur Deipara mater, sequitur & fœlicissima illa Apostolorum cohors prætoriana, ne culmum quidem latum à ducis vestigijs abiens, sequuntur purpureo amictu conspicuæ tot martyrum constantium legiones, nec desunt vel lilijs ipsis vitæ candore, & continentia inferiores virginũ chori. Nunquã vel inuictiorem, vel ornatiorẽ, addam & hoc, vel maiorem vidit orbis. Nunquam siue Athenienses, siue Lacedæmonios, postremo siue Romanos mihi nomines, siue Thebanos, fuit vel dux fortior, vel miles dicto obsequentior. At tu frater interim domi cessas ac desides, ac non mox vbi pugnæ tesserã proponi audis, non properas nomẽ dare nouo imperatori, ac sub illius signis merens, Hierosolymam ascendere, vbi cedendo vincitur, moriendo trophæum statuitur? At quod, inquies, victoribus donatiuum, quod superantibus hostes pręmium? donatiuum centupla merces, hic interea dum certatur, præmium bello egregiè

Exodi ca. 4

Matth. 19.

perfunctis, vita æterna. Vt verò pręmium consequare, eisdem virtutibus quibus Christus imperator tuus nititur, contendendum tibi, eadẽque via, eisdemq; vestigijs insistendum, & per varios cruciatus illusiones, contumelias, atque opprobria ad resurrectionis beatæ gloriã properandum. At iter, inquies, asperum & salebrosum est. Non diffitemur istud. Sed quid facies? Vel hac eundum est, vel perpetuo pereundum. Ita enim ab imperatore nostro cautũ, scitum,
Act. 4. atque decretum est, vt per multas tribulationes in regnum Dei nos intrare oporteat. Deinde si tecum cogites Christum primum (quo se & militem strenuum, & ducem, palam ostẽderet, quod de Achille scribit Homerus) hanc secuisse glaciẽ, pudebit, & pigebit referre pedem, ac deserere signa. Nũquid discipulus supra ma-
Luca 6. gistrum, ait Christus? Nunquid decet militem imperatore suo esse aut supiniorem, aut molliorem? Postremò si te nulla mouet aut honesti aut decori ratio, refer oculos ad præmia, crucis amatoribus, Christique militibus proposita. Inepti sumus milites, imò & hoc nomine indigni, si neque pudore, neque pręmio accẽdimur, cùm eundem habeamus certaminis nostri spectatorem, quem habituri sumus & remuneratorem. Sed quę præmia? Non tripodes aut muli, qualia apud Homerum proposuit Achilles,
Vergil. 5. non Gnosia spicula læuato lucida ferro, non
Æneidos. bipennis argento cælata, non equus phaleris vndique insignis, aut Amazonia pharetra plena sagittis: sed quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, ad quæ nisi incalescat nobis generosæ men-

ſæ mentis viuida virtus, ſaxei & ſtupidi planè cenſebimur, ac planè noſtræ ſalutis incogitantes. Ignauũ pectus eſt, quod nullis præmijs excitatur. Hæc igitur in mẽtem nobis venire debent, quando audimus imperatorem noſtrum, Apoſtolis ſeu prætorianæ cohorti ſuæ iter indicere, ac alacriter pronunciare: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Natura quidem noſtra (vt in vitium præceps & in mollitiem prona eſt) viam ſibi ſterni cupit faciliorẽ: ſed difficilia quæ ſunt, eadem & pulchra. Vẽter, pluma, Venus, Chriſtum fugienda ſequenti.

At ipſi nihil horum intelligebant, & erat verbũ iſtud abſconditum ab oculis eorum: & non intelligebant quæ dicebantur. Theoph. ait, quòd verbum reſurrectionis eos latebat, quamuis etiam non ſatis etiam aſſequebãtur rationem traditionis, vel (vt ſæuiori vocabulo perfugam illũ ac perfidum militem Iudam inſigniam) ſceleratiſsimæ proditionis modum. Neq; facilè poterant, ait Euthymius, reſurrectionem intelligere, quia de alijs per alios à morte ſuſcitatos audierant: de mortuo verò, qui ſeipſum excitaſſet, nunquam neque legerant, neque audierant. Quòd ſi eos neque modum paſsionis eius ſatis aſſecutos velis, non reclamo. Non enim capiebant, quo pacto is, quem regnaturum glorioſè expectabant, mortem oppetere, eamq; multo probroſiſsimam poſſet, & quam tandem ob cauſam moreretur, qui hanc neceſsitatem poſſet effugere. Nondum enim perſpicere poterant, diuini conſilij arcana, quoniam adhuc oculos mentis habebant multa caligine cæcutientes.

Factum est autem, quum appropinquaret Hierico, cæcus quidam sedebat iuxta viam mendicans. Non voluit Christus iter suum esse otiosum, itaq; cęcum oblatum curat. Hierico verò Syris lunam significat, quæ perpetuo incōstans esse solet. Nunc enim plena est, modò semiplena & cornuta, modò nulla. Luna igitur, mundi huius instabilitatem significat. Nam eius prosperitas, statim incommodo aliquo excipitur. Si hodie mundus blandiatur, cras mordebit: si modò rideat, cras irridebit. Quàm arrisit mundus Ado-

Iud. cap. 1. nibesech, dum illi septuaginta reges, truncatis pedum manuumque digitis sub mensa prostrauisset, & mox eundem simili supplicio affecit? Et reges quidem illi sub regis mensa, ciborum lipsana & reliquias ad instar canum famelicorum deuorabant: & mundus tyrannum ludibrio habens, iam nihil de seipso moderatum, aut mediocre sentientem, pari casu afflixit. Cæcus profecto Adonibezech, qui non expendit secum fortunæ instabilitatem. Ita cæcus

Herodotus & Xenophon. erat Cræsus rex Lydorum, qui cùm existimaret se omnium hominum fœlicissimum, Cyrū regem Persarum fines regni sui populantem adortus, viuus fuso exercitu venit in potestatem. Id verò prædixerat ei Solon Philosophus olim, sed rex dulci fortuna ebrius, nihili fecit vrbanam Philosophi admonitionem: sed vbi rogo impositus esset, in mētem tū venit, quod dixerat Solon, neminē videlicet ante mortem supremaque funera fœlicem esse, eò quòd mundus in nos ius habeat, nec fortuna constanter sit omnibus prospera. Hoc verò habet prosperitas,

ritas,quòd ferè eos quibus eſt familiarior,prorſus excæcet. Quapropter interrogatus Chilo quid eſſet fortuna,reſpondit: imperitus medicus,plurimos enim,inquit, cæcos facit. At cæcus iſte Hiericontinus vnde incidit in hanc cæcitatem? Scriptura nihil meminit. Hoc verò eſt in confeſſo,hominem fuiſſe miſerum, cui præter hoc quòd oculis captus eſſet, etiam mendicitas acceſſerat. D. Auguſtinus multa præclara de hoc cæco, ſumpta occaſione ſcribendi de ſpirituali hominis cæcitate. Ægrotare,inquit, fratres iam cœpimus, iacemus in lecto ad Hierico. Et quia ad medicum venire non poteramus, ipſe ad nos venire dignatus eſt, dicens: Cæpiſti infirmari,ſed non poteris ſanari,niſi amarum calicem biberis, calicem tribulationũ, paſsionũ, & anguſtiarum. Bibe vt viuas. At ne reſpondeat ęger,nõ fero,non poſſum, prior bibit medicus, vt poſtea bibat & ægrotus. Quid enim amarum eſt in illo poculo,quod nõ bibit? Si contumelia,ipſe prior audiuit: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit,&c.ſi dolores,ipſe flagellatus, conſputus,illuſus: Si mors, ipſe mortuus eſt. Si genus mortis,nihil ignominioſius morte crucis. Quid? Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis, &c. Et ne æger dubitaret ſequi, ipſe omnes præceſsit. Cæcus verò iam ad Hierico ſedens & mendicans, vt hoc hominum genus eſt curioſum.

Diogenes Laërtius in vita Chilonis.

Aug. ſer. 18 de verbis Domini.

Cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Cæcus,inquit Euſebius Emiſſenus, eſt omnis ſuperbus, omnis auarus, omnis adulter, & fornicator, denique omnes illi,

Euſebius Emiſſe.

Ioan.8. qui non sequuntur illam lucem, quæ ait: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quisquis te cæcum intelligis, redi ad viam. Sed ad quam viam? per quam ambulat Iesus. Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas. Sede iuxta hanc viam, & respiciet te Iesus. Quomodo (inquit Augustinus) quæritur medicus, quãdo oculus carnis turbatus est, & quomodo curritur vt aperiatur, & sanetur. Nemo quiescit, nemo cessat, si vel stipula in oculum ceciderit. At quid facis homo pro oculo spirituali & interno?

Aug. serm. 18.

Interrogabat quid hoc esset. Currentium strepitum audiebat, & personas non videbat. Festinantibus cũctis ipse sedebat, indissolubili tenebrarum vinculo ligatus.

Dixerũt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. At cæcus audito hoc responso, protinus neglectis omnibus prætereuntibus; à quibus multam eleemosynam sperare posset, ad solum Iesum conuersus, cùm pedibus sequi nequiret, voce illum retinebat: conceptaque fiducia ob ea quæ de ipso audierat, exorsus est precationem cum clamore, addito improbitati blandimento, idque satis ex mendicorũ more.

Iesu Fili Dauid, miserere mei. Duo allegat cæcus, quæ ei spem porrigunt impetrandi. Prius est pium nomẽ saluatoris, posterius est nomen Dauidis. Is enim mirè fuit misericors, vt patet clarissimè in historia Semei. Iesum cõpellans, diuinitatem: filium Dauidis nominans, humanitatem eius honorat. At quis id cæcũ docuit? In Iudaismo, ait Chrysost. alitus fuit, vnde

2. Reg. 16

facilè

facilè ei perſpectum fuit, Meſsiam ex ſtirpe & ſemine Dauidico proditurũ. Quis verò iſtum dixerit cęcum, qui ita plenam oculis diuinis offert ſupplicationem? O acutiſsimum cæci aſpectum. O tenebras omni lumine clariores. O fidem perſpicacẽ. Vnde noſti mi cæce, mi mendice, & ideò bis miſer, vnde noſti prætereuntem iſtum tuis poſſe mederi oculis? Vnde noſſem niſi à fide, quæ eius dono mihi indulta, internos mihi aperuit oculos? Noui planè, noui, ſi oculorum ſuorum ſalutifero contuitu meam cæcitatem dignetur, viſum mihi omni auro, argentoque exoptatiorem certò tribuendum, atque idcirco non potentiam, ſed potius miſericordiam poſtulo. O prudentem mendicum. Innumeri publicas inſederunt mendici, ſed nemo hoc vno (loquar iam ita) vel ditius, vel locupletius, mendicat. Alij poſcunt nummos, alij panem, at iſte Dei miſericordiã. Ad quid verò, aut in quem vſum ô cæce hanc rogas. Ad omnia (quid enim noſtrum quãlibet aut magnum, aut ſolidum, quod non egeat diuina miſericordia?) & præcipuè vt videã. Iam vile ſum mendicabulum: at ſi mihi diuina miſericordia, ablata nube, radio ſuæ lucis oculos mihi luſtret, protinus manus, & pedes expediã ad laborandum, ne mendicato poſthac viuere ſit neceſſe.

¶ *Et qui præibant, increpabant eum vt taceret.* Si increpationem iſtam referas ad eos qui credebant, quales in ea turba pleroſque fuiſſe mihi veriſimile videtur, ex animo candido proficiſcebatur. Conſueuit enim Ieſus, vt ſequentibus ſe turbis comes facundus loco eſſet vehicũli,

ſeria & ſalutaria(vt nunquam,ac nuſquam non erat concionabũdus)miſcere:ne igitur clamoſus iſte cæcus muſicam interſecaret, illum increpabant: nolebant enim ſuauiſsima verbi diuini priuari alimonia. Si verò ad minus peritos, atque eos qui erant inter aſſeclas Ieſu rudiores, increpationem referas, videntur cæcũ abſterrere voluiſſe,ne tam inſignis perſona à tam vili homuncione interpellaretur. Quemadmodum benè nummati, ac ingentem ſeruulorum ſecum trahentes gregem proceres, non temerè admittunt intempeſtiuos interpellatores, imò niſi cum execratione, & faſtidio audiunt pauperum ſalutationes: ita Dominum Ieſum ex communium opulentorum hominum, & procerum ingenio iudicabant. Sed comis, & benignus noſter Ieſus eſt, non aſpernatur pauperũ clamores, ac ſalutationes, qui & noctur-
Ioan.3. num illum ſalutatorem Nicodemum non re-
Eſaie.42. pulit, ne calamum quaſſatum videretur conterere,aut fumigans linum extinguere. Diuerſum planè Ieſu noſtri ingenium, à tumidis ſuperborum heroum indole,& ingenio.

Anſati incedunt proceres, glomerantq; ſuperbos
Greſſus, aſſequitur longa caterua comes.

Ipſe verò magis clamabat: Fili Dauid, miſerere mei. Non pudet clamare. Nam ſi pecuniolæ vilis, aut teruntij ſpe obiecta, vocem intendant mendici cæteri, cur non potius pro corporis animæque luce conſequenda, eijciendus eſt inutilis pudor. Atqui talis eſt (inquit Chryſoſtomus) natura fidei, quanto magis vetatur ac reſtinguitur, tanto magis flammæ vehementis

inſtar

instar gliſcit, ac creſcit. Propterea & ſancti martyres, quo magis & verborum contumelijs & admotis tormentis, ad Ieſu fidem abnegandam vrgebantur, eo fortius & animoſius eam profitebantur. Virtus ergo fidei, in periculis eſt ſecura. Idcircò rectè D. Hieronymus: Ecclesia perſecutionibus creuit, martyrijs coronata eſt. Similem ferè habet ſententiã D. Hylarius lib. 7. de trinitate. Hoc eccleſiæ proprium eſt, vt tum vincat cùm lęditur, tum intelligatur cùm arguitur, tum obtineat cũ deſeritur. Huiuſmodi enim fides Chriſtianorũ, vt inter gladios & ignes, tãquam aurum genuinum magis ſplendeat, ſeque ipſa firmior fiat & robuſtior. Lucæ 17. grano ſynapis fides comparatur. Sed D. Ambroſium audiamus: Granum, inquit, fidei, prima fronte & ſpecie ſui puſillum eſt, vile ac contemptum, non ſaporem, nõ odorem circumferens, non indicans ſuauitatem. At vbi atteri cœperit, ſtatim odorem ſua acrimonia exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tãto feruoris calore ſuccenditur, vt mirum ſit in tantulo grano, tantum ignem fuiſſe concluſum. Ita fides prima fronte videtur eſſe vilis & parua, non potentiam, non faſtum, non ſuperbiam præferens: at vbi diuerſis cœperit teri perſecutionibus, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniamque indicat. Hactenus Ambroſius, cuius verba ad cæci noſtri conſtantiam ac fidẽ referamus. Sedebat enim ille populo tranſeunti deſpectus ac neglectus ſentus, ac lacer, ſordidas manus eleemoſynis protendens. Vix baculum quo greſſum firmaret, vix puerum qui duceret habens,

D. Hieron. epiſtola ad Ioan Hieroſol. epiſcopum.

Hylarius li. 7. de tri.

Lucæ 17.

Ambroſius ſer. 1.

habens, & quod malorum est extremum, oculis erat captus. Huic quoque miseriarum Iliadi & hoc accedit, tanquam auctarium quoddam, quod turbæ quæ legebant viam eam, cui mendicus iste affixus erat, ad Domini IESV clementiam aspiranti ac assurgenti sese obijciunt, ac vehementer premunt agitantque. Sed quid ille? voce qua solum valebat, generosè ac fortiter reluctatur: quoque magis premitur, eo constantius orationem suam prosequitur, Iesum identidem inclamans, ac opem deposcens, vt verè synapis nostri granum agnoscas, quod tritum vim suã quàm maximè exserit. Tale granum erat Laurentius, Vincentius, Sebastianus, Tecla, Agnes, Blandina, & mille alij quorum inuicta & animosa fides cùm attereretur, incredibili odore nostrã conspersit, impleuitque ecclesiam. Nunc explicemus quæ sint istæ turbę, quæ cæco sese obijciunt. Obstreperas istas turbas, quæ cæco tantum præstant negotij, & obstaculi, ac misero tam malè fauere videntur, alij Synagogam, alij prauas cogitationes intelligunt. Quod verò ad Synagogam attinet, reclamat illa perpetuò cultoribus fidei syncerioris, dictans in Iesu nullam esse salutem, sed in Moyse suo: eumque, non Iesum posse inducere populum in terrã promissam. Hoc spiritu credo imbuti Pharisęi illi, qui Petro Apostolorum
Act.4. coriphæo, ac commilitonibus eius sunt interminati, ne vel docerent, vel prædicarent in nomine Iesu. Obstrepunt & Philosophi & principes Ethnici, idolomaniam suam sapientiæ patris præferentes. Eusebius Emissenus turbam vitio-

vitiorum ac inanium phantaſmatum machinamenta, pium deſiderium de Ieſu conceptum ſuffocare nituntur. Quod ſi his omnibus reclamantibus, homo ad Ieſu liberalitatem mendicare pergat, etſi tranſire videatur, cõſiſtet tandem. Stat enim, ait Gregor. qui ante tranſibat, *Gregorius.*
quia cùm adhuc turbas phantaſmatum in oratione patimur, Ieſum aliquatenus tranſeuntem ſentimus. Cùm verò orationi vehementer inſiſtimus, ſtat Ieſus, vt lumẽ reſtituat. Quapropter in precibus noſtris fortiter luctari oportet, & ſuperis veluti vim inferre vt ſe ſinant exorari. Exemplo id fiet Iacob patriarchæ, qui pre- *Geneſ. 32.*
henſum angelum fortiter vrgebat, vt benedictionem impartiretur, alioqui non dimiſſurus. Sic D. Paulus fortem pro ſe poſtulat precationem à Romanis fieri. Obſecro, inquit, vos, vt *Rom. 15.*
me adiuuetis in orationibus pro me ad Deum. Græcè eſt συναγωνίσασθαι, quod ſignificat cõcertare. Quando autem ſomnus duntaxat labijs veluti aliud agentes preces noſtras fundimus, atque omnia quę dicimus ſub palato, inter dentium ordines non in præcordijs naſcuntur, neſcio an cũ cæco clamare dicamur. Non eſt hic agon, non eſt certamen, quod Paulus poſtulat.

Stans autem Ieſus, iuſſit illum adduci ad ſe. Nauim citatam remis ſiſtit vẽtus, equum præferoculum frena, & conſtrictæ habenæ: Ieſum verò ardens & conſtans oratio, quæ eum non tam tenet quàm cogit. Mane nobiſcum Domine, aiunt diſcipuli illi, quoniam adueſperaſcit, & coëgerunt eum.

Et cùm appropinquaſſet, interrogauit eum, dicens:

veterisque vitæ sordibus, nullam putat esse vitam, nullum solatium, nullum gaudium, nisi Iesum sequi, illique indiuulsè adhærere. At quid deinde? tũ perpetuò illũ magnificat, ac splẽdidè de illo prædicat. Semper Christi laudes & encomium, in ore eius. Nam Græcè est δοξάζων, id est, glorificans Deum.

Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Si nos Christum studiosè imitaremur, & pro nostris diuitiolis erga pauperes & egenos, liberales & munifici essemus, proculdubio ingens nos gloria sequeretur, ac passim in tonstrinis & compitis omnes omnia de nobis benè dicerent, nostramque beneficentiam deprædicarent. Sic viduæ Ioppenses celebrârunt Tabitam, iam recẽs defunctam. Ecce, aiebant Pe- *Act. 9.* tro, his stolis, his tunicis nos vestijt, his cibis sustentauit. At dicis: Non possum cæcis visum restituere: Nec hoc aio, aut præcipio, ô bone, vt facias, potes verò viduarum & pupillorum oculos exsiccare, & ambiguis deploratisq; rebus succurrere, ne immodico fletu occæcetur. Quin & hoc quoque boni, & commodi hinc enascetur, vt hi qui te, tuamque liberalitatem concelebrant, primam gloriæ messem Deo ipsi acceptam ferant, illum nullis non laudum titulis cohonestantes, quòd tales habeat famulos, tam benignos videlicet & beneficos, erga miseros, claudos, & cæcos.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRAECEDENS EVANGELIVM.

1.

Ne topographiam, vel contempsisse videamur, vel

vel neglexisse, scito Hiericho sitam ad Iordanem in sorte Beniamin, de qua multa scribuntur, Iosue cap.2.18.& 24. Magni & celebrati nominis est ciuitas, propter palmeta & hortos balsami, aliasq; insignes arbores. Vnde & Deut.34. appellatur ciuitas palmarum. Habêt etiam & rosas præstantissimas. D.Hieroymus in 20. caput Matthæi, ait eam furibus & latronibus fuisse obnoxiam, quæ pestis ferè opulentis vrbibus insidiari solet. Distat 9. miliarijs à Hierosolyma, ab Iordane tribus cum semi. Hanc destruxit Iosue, erexit Ahiel de Bethel. Destruxit rursus Vespasianus Imperator, sed restaurauit Hadrianus. Itaque nihil mirum, si oppidum quod toties alternantis fortunæ, nunc prosperum, nunc acerbum fortunæ vultum tulit, Ierico vocetur.

2.

Alia est hæc historia ab ea, quam habet Marcus. Lucas enim disertè hunc cæcum refert sanatum, *Marci* 10. priusquam Iesus ingrederetur Ierico. Marcus verò apertè suum curatum scribit, vbi egressus esset. Sic August. lib.2. de consensu Euangelist. cap.65.& 48.

3.

Neque conuenit hæc Lucę historia cum ea quæ *Matth.* 20 est Matth.20. Ibi enim duo cæci, hic vnicus. Ibi sanati sunt, dū egrederetur Iesus Ierico, hic dum ingrederetur. Ibi tetigit oculos cæcorum, hic verbo solum agit.

4.

Vt videam. Græcè est ἀναβλέψω, quæ dictio significat, vt videam, vel, vt rursus videam, seu visum post cæcitatem recipiam. Precandum itaque, vt vitiorum depulsa caligine, visus nobis restituatur: & ne oculi nostri in terrenis figātur rebus, sed potius sursum attollantur, ad cælestium considerationem.

5.

Hac die Dominica incipit mundus & filij carnis, sua Bacchanalia festa: quibus omnis ætas, omnisq; sexus, magni, & parui furere vidētur, potius quàm viuere.

viuere. At Ecclesia, vt frenum aliquod tam proiectæ voluptati, tot commessandi, ac sese, aliosque ad largiores epulas, poculaque frequentiora inuitandi, studijs inijciat, per euangelium Lucæ ca.18. vexillum crucis Christi, totiusque passionis eius seriem, nobis ob oculos statuit, & figit. Imò non prægrandibus phialis, aut pateris nobis esse certandum significat, sed abstinentia, ieiunio, precibus & vitæ modestia, vt conscias, & coniuratas mundi, carnis, dæmonisque acies, quæ in nostram semper vigilant, excubantque perniciem, signum crucis præferentes, superare possimus. Audis ante meridiē huius diei, quòd Christus tradetur Gentibus, conspuetur, illudetur, flagellabitur, & occidetur: & tu ante ora, oculosque tui parentis, qui has pœnas etiam ob tua scelera luit, amenti similis, ineptis, cantas, saltas, nulliusque voluptatis genus omittis, ne non videaris serio cum bacchantibus bacchari, hoc est, cum insanientibus insanire? Hæccine decent quæso? Parens illuditur, filius ludit: Pater gemit, & lachrymatur, filius ridet, & cachinnatur. Nónne crudelis, impius, & astorgos, hoc est, sine affectione esset filius, qui in patris sui exequijs luderet, & saltaret? Insignis est scriptura Esa. cap. 22. quę rationem huius tēpestatis mihi omnino exprimere videtur. Vocabit Dominus in illa die, ad fletum, & planctum, & caluitiū, & ad cingulum sacci, & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & occidere arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Hoc est, cras non licebit. At vbi non resonant voces istæ? Siue iungas te vulgò rudi, siue sacerdotibus peritioribus, hæc vna omnibus vox est: Iam possumus, cras non licebit, moriemur tum esui carnium. Proinde comedamus dum licet, impleamus nos vino, non prætereat nos tempus istud. Sed audiamus, obsecro, quo se bacchantes isti defendant colore. Consue- *Esaie 22.*

Q tudo,

tudo, inquiunt, obtinuit, licet modò insanire, imò opportunum est. Et nō insanire hoc tempore, non est seruare decorum. Quid? Vestra ne consuetudo efficere potest, vt quod ex se illicitum est, incipiat esse licitum? Vestra ne consuetudo, potest abolere legem Dei?

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ EVANGELIVM.

Matth. cap. 4. Luc. 4. Marc. 1.

D*Uctus est Iesus in desertum à spiritu, vt tētaretur à diabolo: & postquam ieiunasset quadraginta diebus & noctibus, postea esurijt.* Iam dux noster Christus baptismi aqua perfusus erat, tremente & veluti obstupescente ad tam sanctum verticem Ioannis Baptistæ dextera, iam
Matth. 3. patris voce cohonestatus, qui è nubibus disertè est protestatus suum hunc esse filiū, & quidem vnice charum. Nihil autem iam restare videbatur, nisi vt antiquo serpenti, qui de primo olim homine triūphauerat, congrederetur, ostēderetque nō perinde esse facilè cum posteriore
1. Cor. 15. Adamo de cælo cælesti, vt cum priore de terra terreno manus cōferere. Neque detrectat certamen diabolus, sed vt impiger est, & audax, ipse prior Christū Baptismi charactere iam insignem, & armatum, est aggressus, eo fortè cōsilio vt periculum faceret, an ne ipse esset filius Dei, vt vox cælo missa pronunciauerat, quam eum quoque cum turba ad Iordanem audiuisse, non est vero dissimile. Vbi obiter à studiosis lectoribus notari velim filios Dei per baptismi lauachrum emundatos, & regeneratos, diaboli assultibus esse ferè obnoxios. Non enim, ait

Chry-

Chrysostomus, ad id accepimus arma, vt otiemur, sed vt pugnemus. Grandes verò per baptismum consequimur thesauros, grandem & incredibilem dignitatem. Quapropter diabolus quæ perpetua eius inuidia est, hos nobis thesauros interuertere, & eripere contendit. Hinc & aduersus primum hominem surrexit, quia multo honore cernebat conspicuum. Hinc & diuum Iobum aggressus, quòd diuinis laudibus videret coronatum. Concors verò atque vna scriptorum nostrorum sentētia est, Christum à spiritu sancto in desertum locum esse ductum, vel, vt vult Erasmus, subductum, Græcè enim est ἀνήχθη, quod est subductus. Paulus verò ad Romanos testis est, filios Dei à spiritu Dei agi. Rectè verò & apposite refertur à spiritu, nō autem ab homine aliquo impulsore ductus in solitudinem, ad ieiunandum, vt apertè intelligas ieiunij eius sacrosanctum exemplum, non humanum esse inuentum, sed potius diuinum, & solitudinis extra omnem mundi strepitū, electionem esse laudabilem. Secessus enim à populi commertio & auget auctoritatem, & acuit ad cælestia bona desiderium. Quapropter & nostri generis communis hostis diabolus eos lubentius aggreditur, qui cælestem iam vitam meditati, illecebris vanisque cupiditatibus miserunt repudium. Quale autem illud fuerit desertū, an ferarum tantū fœcundum, & beluarū, satis indicat D. Lucas: Marcus cùm eum scribat egisse cum bestijs. Non enim ibi versabatur cum hominibus. Ioan. Chrys. ait, Christum vt ducem quendam præstrennuum nos veluti ru-

Genes. 3.

Iob 1.

Roman. 8.

des adhuc tyrones disciplinam cum diabolo dimicãdi docuisse, qui nullis armis facilius vincitur quàm ieiunio, & oratione, quæ in secessu & locis solis singulare consequitur robur. Quin
Exod. 24. & Moses quadraginta dierum vsurus ieiunio in montem Synai subducitur. Quod & Eliá quoque
3 Reg. 19. fecisse, tertij libri Regum prodit historia. Hic mihi vide Christiane lector, quibus à suscepto baptismo armis, aduersus diaboli machinas, & insultus te communias. Ieiuna, inquit
lib. 6. exa- Ambrosius, si vis vincere. Idem auctór est ieiu-
mer. ca. 4. ni hominis sputo serpentes mori. Vides, inquit, quanta ieiuni hominis vis sit, vt sputo suo terrenum serpentem interficiat homo? quanto ergo potius interficiet serpentem spiritualẽ? He-
Herod. li. 2 rodotus auctor est, tanti apud Ægyptios esse ieiunium, vt sacrificare nolint eorum sacerdotes, nisi ieiuni. Sed de ieiunio aliâs, restat vt de obseruantia siue ieiunio quadragesimali nonnihil agamus. Numerus quadragenarius in ieiunio celeberrimus semper est habitus. De ieiunio Moysis & Eliæ iam dixi supra. Quadraginta
Ioan. 2. dierum inedia, spiritu opinor sancto instincti, iram Dei à ceruicibus suis auerterunt Niniuitę. Hos omnes nouæ legis auctor & princeps Christus, priusquam orbi euangelij sui decreta inuulgaret, quadraginta dierum ieiunio secutus est, vel potius præcelluit, simul, tectè licet, indicans suam prædicationem nõ pugnare cum lege & prophetis. Fortè & idcirco in mõte Thabor tanquam complices, vel potius consortes, sibi proximè coniunxit Moysen & Eliam, q̃ui & ipsi quadragesimam suo more ieiunârunt. Id
satis

ſatis nobis ſcriptis ſuis produnt Auguſt. epiſtola ad Ianuarium, Hieronymus contra Iouinianũ, & B. Vincentius Valentinus. Quadraginta etiam diebus purificabatur mulier, quæ peperit maſculum. Quadraginta diebus dormiuit Ezechiel in viſione ſuper latus dextrum aſſumpta iniquitate domus Iudæ. Quadraginta dierum ſpatio aquis diluuij abluit Dominus orbem. Quadraginta diebus exploratores duodecim circuierunt terram Chanaan. Hæc ſatis ſignificant numerum quadragenarium olim pro ſacro habitum. Errant verò vehementer qui Teleſphorum quadrageſimale ieiunium inſtituiſſe aſſerunt. Nam eius verba ita habent: Septẽ hebdomades plenas ante ſanctũ Paſcha clerici ieiunabunt, quia diſcreta debet eſſe vita clericorum & laicorum. Ille itaque paulò amplius & diutius clericos ieiunare decreuit, non autem quadrageſimam inſtituit. D. Hieronymus ad Marcellam oſtendit quadrageſimalis ieiunij obſeruantiam nobis ortam ex Apoſtolorum traditione. Subſcribunt Hieronymo, D. Ambroſius & Chryſ. pluribus in locis: ſed pręcipuè homilia de quadrageſimæ ieiunio. Sequitur hos Maximus Taurinenſis ſerm. de ieiunio Niniuitarũ. Quod ſi quiſpiam librũ Paſtoris recipiat, facilè cernet à plæriſque olim quadrageſimam ieiunatam pane & aqua. Memorię prodidit Procopius lib. 1. ædificiorum Iuſtiniani, imperatorem illum in quadrageſima crebro totum biduũ ſine cibo perſeueraſſe. Diuus Gregorius ieiuniũ quadrageſimale anni decimas appellat. D. Ignatius epiſtola ad Philip. ſcribit quòd quadra-

Auguſtin. *Hieronym.* *Vincẽtius.* *Leuit. 12.* *Ezech. 4.* *Geneſ. 7.* *Numeri 13*

gesimale ieiuniũ Christi habeat imitationem. Videat lector & Gregor. Nazianzenum oratione 3. in sanctum lauachrũ, & Petrum Chrysol. ser. 11. Origenes ait, quadraginta dies ieiunijs consecratos. Neque D. Augustinum hic pręterire fas est, qui ser. 4. post Dominic. 2. quadragesimæ ita ait, Sanctá quadragesimam ieiunando ipse Dominus consecrauit, totam non obseruare sacrilegium est, ex parte violare peccatum est. Ferè præterieram D. Basilium. Hic itaque præclarissimus auctor ita scribit serm. 2. de ieiunio. Ieiunium quidem vtile est ijs qui illud sponte suscipiunt, neque enim assultus dæmonum audet quid aduersus ieiunantem, (ac vitæ nostræ custodes angeli diligentius adsunt ijs qui ieiunãt) sed multò magis hoc tempore quo per vniuersum terrarum orbem vndique denũciatur ieiunij præconium. Nec vlla est insula neq; vlla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum ieiunij edictum. Quin & exercitus, & viatores, nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Angeli sunt qui in singulis ecclesijs describunt ac recensent ieiunantium capita. Hactenus Basilius: cuius verba, quòd pulcherrima sint, prolixius adscribere visum est. Quid nunc dices Christiane auditor? Nunquid locũ hic habere poterit, quod feroculus quidam ecclesiasticarum traditionum censor ait? Christus, inquit, ieiunauit, igitur non opus est nos ieiunare. Imò potius ô belle censor ita concludas, Christus ieiunauit, consequitur inde quod & nos oporteat

ieiunare: Christus bibit calicem, igitur & nos bibere decet. Quid enim? nónne membra caput, discipulos præceptorē, & filios decet imitari patrē? Si satis superque fuit illum ieiunare, frustra stilus tot sanctissimorum patrum sudauit, frustra tot iam labentibus annis lingua ecclesiastarum vsque ad raucedinem ferè clamauit, frustra vniuersus pœnè orbis Christianus coniurauit, vt nobis hoc ieiunium persuaderet, commendaret, inculcaret. Sed hic ludus tuus ô Leuiathan, hæ artes tuæ, ô tortuosè serpens, vt olim Adamum paradiso, ita eius posteritatem gula & esu cælo excludere. Potius illud boni angeli auidis bibemus auribus: Bona est oratio cum ieiunio. *Genes. 3.* *Tobiæ 12.*

Postea esuriyt. Vt humanæ fragilitatis conditionem agnoscas. Cùm enim ieiunio Moysen & Eliam expressisset, noluit famis molestiam dissimulare. Id, vt in omnem occasionem erectus erat, vbi sathan sensisset, veluti ex insidijs Christum adortus est, ex illius esurie, vt scribit Euthymius, arrepta tentandi ansa. Sed obsecro cur Christus post quadraginta dies esurijt? Docemur nulli carni quamlibet castigatæ nos fidere debere. Si enim caro est, concupiscet contra spiritū, Gal. 5. Si Dalila est, molietur aliquando mortem Sampsoni. Si Eua est, offeret aliquādo pomum viro suo. Quapropter etsi aliquando dissimulet caro, tandem redibit ad naturam, & spiritum affliget.

Accedens tentator dixit. Verisimile est eum accessisse specie humana. D. Augustinus lib. 19 de ciuitate ca. 21. ait, quòd ille dęmon seu ten-

tator fuerit omnium dæmonum princeps. Nimirum principem pugnare decuit contra principem, vt postea & membra vnius cum membris alterius partis audacius certamen inter se contraherent. Imò idem hic tẽtator olim cum Adamo antiquo, sed non paribus auspicijs, parique euentu conflixit. D. Augustinus concione 2. in Psal. 90. ita scribit. Idcirco tentatus est Christus, ne vincatur à tentatore Christianus. Ille quippe magister in omnibus tẽtari voluit, quia tentamur: mori, quia morimur: resurgere, quia resurgimus. Illa enim quæ ostendit in homine, qui factus est homo, propter nos ostẽdit. Sed quid obsecro dixit?

Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quid opus est te fame discruciari? Iube potius (cùm nutui orisque tui imperio subdantur omnia) iube vt hæ tuæ creaturæ vertantur in panes. Agnoscis ne eundem esse captatorem qui escæ lenocinio primos parentes euertit? Sed miserum & cælo olim depulsum mancipium, frustra incarnationis Christi mysterium tentãdo expiscari conatur. Sic Herodem etiam videndi miraculi cupidum sub horã suæ passionis contempsit. Præstigiatorum enim est ad ostentationem miracula vel edere, vel fingere. Miraculum vel ad Dei gloriam, vel ad fraternam charitatẽ promi ac fieri debet. Sed deest,

Ambrosius serm 35. ait Ambrosius, illi in deserto amenitas arborũ, consiliatrix Eua, pomorum speciosa deceptio. Vndique igitur exclusus, ad pauimenta descendit, & postulat in cibũ saxa mutari. Nouit versutissimus veterator olim de saxo potum fluxisse,

xiſſe,nunc & cibum è ſaxo poſtulat. Execratur Exod. 17.
ieiunium,deteſtatur abſtinentiam diabolus: & quotquot ſub eius ſignis militãt,ſtrennui illius ſatellites,ad cibum,& gulam potius cohortantur, & ad farcienda inteſtina, etiam ſi pinguis illis aqualiculus, & venter cum his quæ ſub ventre rumpantur. Profuerit hic notaſſe diabolum plus fidei habere quàm naſutulos quoſdam, qui tranſſubſtantiationem fieri poſſe negant in Euchariſtiæ ſacraméto. Ecce enim diabolus credit filiũ Dei ſolo verbo lapides in panes poſſe conuertere,& cur non æquè Chriſto facilè fuerit,verbo ſuo omnipotenti panem in corpus, & vinum in ſanguinem tranſmutare?

Ambroſius ſerm. 34.

Qui reſpondens dixit, ſcriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo,ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Nunquam aut efficatius aut citius tentator euincitur & abijcitur quàm verbo Dei. Hoc enim gladius ſpiritus eſt,quo debellari debet omnis diaboli potentia. Conſidera verò quòd hic ſe nihil maius quàm hominem eſſe dicit. Quod ſi homo poteſt viuere verbo Dei, quanto potius Dei filius? Quid ergo neceſſum creaturam & lapides vrgere vt efficiantur cibus? D. Ambroſius in euangelium Lucæ, quem ſequitur Eraſmus, opinatur hunc textum ita intelligendum, ac ſi Chriſtus dicat animam viuere verbo diuino. Verum quanquam plauſibiliter iſtud & ſpecioſè dicatur, nõ poſſum tamen huic accedere ſententiæ, quod & ipſe locus, vnde petitum hoc teſtimonium eſt, apertè arguat, non ita poſſe intelligi. Quoniam quod ad locum præſentem attinet, impertinens omnino

Deuter. 18

Ephes. 4.

nino ſermo eſſet introductus de vita animæ,cū hic iam oſtendēdum eſſet,quibus rebus ſuſtentari poſſet vita corporis, & huius ſuſtentationi nō eſſe omnino neceſſarium panem. Et Deut. 8. Vnde iſtud eſt ſumptum, dictum eſt hoc teſtimonium occaſione mannæ. Dedit (inquit Moſes) tibi Dominus manna,quod ignorabas tu & patres tui,vt oſtenderet tibi,quòd non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Quare per omne verbum Dei, aut verbū quod procedit de ore, hoc eſt imperio Domini, oportet intelligere omne id quod vult, ordinat, & iubet, vt vita hominis ſuſtentetur: quomodo manna, quod non erat panis,nutriuit Iſraëlitas in deſerto,& Helizęum cum ſocijs herbis agreſtibus ſatiauit & Moſen,Eliam,atque Chriſtum ſine omni cibo ſuſtentauit. Georgius VVicelius per verbum intelligit præceptum Dei. Quam interpretationem ex Theophylacto mutuaſſe videtur,qui ait: Etſi manna non eſſet panis, tamen per verbum Dei implebat omnem Iudæorum indigentiam, & fiebat omnia quæcunque comedere cupiebant, ſiue piſcem,ſiue ouum,ſiue butyrum, ſiue caſeum concupiſceret Iudæus. Sacræ Theolog. profeſſor eruditiſsimus M. Ioan.Heſſelius, ſic interpretatur: Non ſolum panis & vulgares cibi iſti ſunt, quibus homo alitur,ſed quicquid à Deo deſtinatur,vt homini ſit alimenti loco. Deus voluit vt panis cor hominis confirmaret, non tamen ita vt ſine pane homo viuere nequeat. Nā quod panis nutriat, non aliunde habet quàm ex Dei prouidentia, & vo-

Georgius VVicel. *Theophil.*

& voluntate quę tám est efficax, vt etiã si mortiferum cibum homini Deus destinet ad vitã, iam non sit ei cibus mortis, sed vitæ. Hactenus ille.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Rabanus in Matth. ait, quod hæc est periphrasis ciuitatis Hierosolymæ. Sãcta autem dicitur, quia ibi cultus vnius Dei fiebat. Deinde quia ibi sacrosanctæ illæ nostri Messiæ figuræ explicabantur, dum sanguine vitulorum & agnorum proludebatur mysterium redemptionis nostrę. Postremò sancta erat ciuitas, quia sanctussanctorum morte sua nostram mortem ibi sustulit. Verùm (vt propius vero aliquid dicam) videtur mihi ciuitas sancta appellari ob verum & syncerum religionis cultum, quo Deus ibi in templo magnificè constructo celebrabatur.

Et statuit eum supra pinnaculum templi. Pinna rei alicuius summitas atque fastigium est, quod Matthæus & Lucas πτερύγιον nominant, quod sanè diminutiuũ est ἀπὸ τοῦ πτερον, id est ala. Mihi videtur pinnaculum cathedram, seu suggestum in suprema muri parte significare, qui locus inter primum & secundum atrium erat, vnde sacerdotes legem & prophetas interpretabãtur. Quare Remigius pinnaculũ sedem doctorum vocat. D. Cypr. hic notat satis callidè Christum huc à diabolo subuectum, vt quem de gula non potuit, saltem de vana gloria eludat.

Remigius. *Cyprianus serm. de ieiunio.*

Mitte te deorsum. Beatus Maximus ait: Diabolus

Maximus serm. 2.

bolus deorſum & ad ima prouocat, quia bonos omnes ruere optat, qui ſe præ omnibus ſentit cecidiſſe. Sed inſane & occæcate diabole, quæ ars eſt eximia, ſi deſcendat, aut deorſum ſe mittat? Hoc certè facillimum eſt, ſed hominem graui carnis mole aſcēdere, ac in ſublime niti, hoc opus, hic labor eſt. Quare, ait Petrus Rauennas, multò fuiſſet conuenientius dicere, *Petrus Chryſologus ſer. 13.* aſcende ſurſum atque medium aëra tranſcēde, cùm hominis potius ſit deſcendere, Dei verò ſcandere. Porrò acutè inſpicienda ſunt verba *Hieron.* diaboli. Vox enim hæc verè diaboli eſt. No- *Ambroſius* tant hoc Ambroſius & Hieronymus, quos ſequitur Chryſologus. Nam cùm ſummam per arrogantiam è cælorum ſublimitate ſe præcipitauerit olim, homines omnes ſui ſimiles eſſe cupit, & de altiori meritorū gradu cadere. Sed ſuadere id poteſt, ad hoc impellere non poteſt. Gloſſa in Matthęum ſubnotat multos in ſublimitate cathedræ olim fuiſſe deceptos, imo & deiectos, atque inani gloria in imum effuſos. Huius rei vel ipſi Phariſæi nobis exemplo ſunt *Matth. 23.* Matth 23. Talis erat & Nouatus, qui, Cypria- *Cyprianus epiſtola ad Magnum.* no teſte, cùm homo aut filius eccleſiæ nō eſſet, cathedram tamen ſibi conſtitueret. Profuerit *Euſebius lib. 4. Hiſtor. c. 21.* ex Euſebio lib. 4. hiſtoriæ, cap. 21. petere ambitionem Therbetis, & ex Nicephoro lib. 15. *Niceph. li. 15. ca. 16.* cap. 16. faſtum Timothei Æluri, qui planè non niſi diaboli inſtinctu in templi faſtigiū ſeu pinnam, nullis non artibus ſunt aſcendere conniſi. *Petrus Alexandrinus epiſt. quadam.* Petrus Alexādrinus de Lucij crudelitate commemorans, cōuincit eum impietatis, quòd auro epiſcopatū ſibi parauiſſet. Epiphanius quoq;

auctor

auctor est, Aërium quendam cùm ambito episcopatu excidisset, immodico spiritus tumore afflatum, docuisse episcopos & sacerdotes omnes, paris esse dignitatis. *Epiphanius hæresi 75.*

Scriptum est enim, quoniam angelis suis, &c. *Psal. 90.* Ambrosius ait, diabolum vti scripturis, non vt erudiat, sed vt fallat: hæc verò scriptura, non de Christo, sed de viro quolibet sancto dicta est. Corrumpit & cõtorquet itaq; scripturam diabolus, quod eius filijs quoq; hæreticis receptissimum est. Vincentius Lirinẽsis pulchrè notat *Vincentius Lirinensis.* hæreticos nos monere, vt si filij Dei, hoc est, hæredes regni cælestis esse cupimus, nos deorsum ex sacrosancta ecclesiæ sublimitate demittamus, illiusque doctrina excidamus. Quod si quis roget vnde probent, mox adducunt mille testimonia, & nunquam non clamãt: Scriptum est, scriptum est. Id abundè & elegãtissimè tractat Hosius, aureo illo de Dei expresso verbo *Venerabilis Hosius.* libello. Truncauit igitur scripturam hanc Dauidis, quia verba quibus ipse accuratissimè depingebatur, dissimulauit & omisit. Nã sequenti versu vocatur aspis, basiliscus, leo, & draco, quorum proprietates pulchrè in illum competunt: Psalmus certè iste promisit sperãti in Dominum, & per assiduas preces ad eum confugienti, angelorum protectionem, adeò vt ne in calculum quidem minutum offendere vnquam posset, quod sanè hominem pium mirificè recreat. Vide amice lector, quanta apud Deum tui cura sit & sollicitudo. Elysæus propheta *4. Reg 6.* plurimam Angelorũ multitudinem, qui pro se ac puero suo excubarent, habuit. Tobiæ quo- *Tobiæ 6.*

que

nihil à diaboli telis esse vel tutum, vel securum. Nam vna tẽtatione oppressa, statim altera exsurgit, ac sese infert etiã non expectanti. Mons iste in quem subuectus est Iesus, est in deserto à latere mõtis Nebo, estq; eminentissimus, vnde eo consilio videtur eum montem sibi diabolus elegisse, vt loci celsitudine Christum ad animi elationem excitaret, & facilius hinc regiones orbis conspiceret. In eundem montem olim Dominus subduxit Moysen, terram promissionis ei ostensurus, Deut. 33. *Deuter.* 33

Et ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Verisimile omnino videtur, vt diabolus Christo ostenderit omnia mundi regna sensibiliter, quia nouo quodam modo ostendit & repræsentauit eius humanis obtutibus omnia mundi regna, omniumq; rerum imagines, faciens per eas imagines omnia apparere oculis eius, qua ratione neque fuit illusio aliqua in oculis Christi, neq; Christus deceptus est, cùm sciret imagines obiectas esse falsas. Id ita factũ esse docet Theophyl. Porrò Lucas ait, quòd *Theophyl. in Matth.* temporis momento ei omnia ostenderit diabolus. Imò & gloriam eorum. Nam hac ostensione in ipso dominandi cupidinem concitare cupiebat, vt hoc modo ad Dei contemptum pelliceret. Sed benè expẽdamus illud, gloriam eorum, hoc est, gloriam illorũ regnorum. Nam gloria Arabiæ, est thus, myrrha, & aurum. In Ægypto est coralliũ, murex, & huiusmodi. In Germania est vinum laudatissimum. In Italia sunt vina cæcuba & phalerna. In Prussia &

Russia

Rusſia eſt cæra. Hæc itaque eſt gloria regnorum, niſi mauis intelligere gloriam ciuitatum in vnaquaque regione ſitarum. In Italia habes Romam, Neapolim, Mediolanum, Florētiam, Venetiam, Bononiam, Ferrariam, Genuā, Parmam, Rauennam, &c. In Hiſpania, Toletum, Vlyſiponam, Granatam, Pompeyopolim, Valentiam, Barchinonem, Hiſpalim, Cæſarauguſtam. In Francia, Lutetiam, Aureliam, Andegauum, Toloſam, Rothomagum, Ambianum, Pictauos, Burdegalam, Bituricam, Maſsiliam, Lugdunum. In Germania ſupera, Coloniam, Argētinam, Baſilæam, Vlmam, V Vormatiam, Moguntiam, Spiram, Bernam, Auguſtam, Nurenbergam, Herbipolim, Franckfortum, Heydelbergam, vt taceam Lubecam, Amburgum, Bremam, Magdeburgum. In infera Germania, Gandauum, Louanium, Bruxellam, Andwerpiam, Brugās, Mechliniā, Traiectum, Amſterdamum, Delphos, Harlemium, Dordracum, Sutphaniam, Dauētriam, Nouiomagum, Middelburgum, Bergas Hannoniæ, Valenchenas, Duacum, Tornacū, phanum Oudomari, Atrebatum, Hypras, Namurcum, Buſchumducis. Nam ciuitates præclaræ in regnis ipſis gloria regnorum eſſe nemo dubitat. Poſſem hic ſexcentas alias recenſere in Ægypto, Perſia, India, Græcia Capadociaque inſignes ciuitates, ſed nihil eſt opus.

Hæc omnia tibi dabo: Sed dabis ne miſer quod tuum non eſt? Sed quæ obſecro dabis regna? Infernum? Nemo illum ambit. Peccatorū pectora? ſed mūdiora cupimus regna. Hæc enim

tetra fuligine, erroribus, & perturbationibus plena sunt. Hæc regna quę modò te habent regem, post te habebunt & tortorem.

Hæc omnia tibi dabo. Fortè & nimis humanis pectoribus penetrabile telum. Expertus est veterator ille, nihil nequius esse auaritia, imò imperij gratia mortales omnia sursum deorsumque mouere & miscere. Dulcis omninò est honor, & præclarum quid imperare. Ad hæc nonnunquam veneficijs, cædibus, periurijs, ac alijs non ferendis probris irrumpitur. Ob id Athalia omne semen regium interfecit, vt vna solaque regni sceptris potiretur. Ob id Abimelech fratres numero 70. acerbissima morte cõtrucidauit. Ob hanc furiam Absalon patrem regno exturbauit. Hoc inescatus visco Antoninus fratrem Getam in matris gremio quiescẽtem, obtruncauit. Hoc scelere imbuti reges & principes peierare nihil verentur. Tanta huic malo vis est, vt Iulio Cæsari laudatissimo sanè & inuictissimo imperatori, hanc vocem exprimeret: Si ius & æquum violandum, imperij causa violandum. Quæ verba ex Euripide sunt desumpta.

4. Reg. 10. Iudic. 9. 2. Reg. 15. Herodian. Suetonius Tranquil.

Tunc dixit ei Iesus: Vade sathana, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Cùm audisset Christus regnum ostensione sollicitari ad creaturæ adorationem, quod sanè execrabile scelus est, non existimauit diutius dissimulandum: voce itaque vsus increpatoria, *Vade, ait, sathana.* Quòd verò in prioribus tentationibus tranquillior, in postrema hac tantam ostenderit vehementiam & indignationem, admonet

Deut. 6. & 10.

nos in priuatis iniurijs nonnihil dissimulare, in Dei verò & sacramentorum eius blasphemijs acres esse & seueros.

Vade sathana. D. Irenæus lib. 5. ait, quòd sathanas, Hebraicè idem est quod apostata. Hic obseruari velim optimam esse rationem superandi diabolum eiusque machinationes, si cum Christo dicamus: *Vade sathana*, suggestiones videlicet eius contemnẽdo, eisque non immorando. Quoniam cùm eas animo reuoluimus, tametsi non confestim eis consentiamus, gaudet tamen, mirificeque sibi blanditur, quia noxia eius semina aliquousque admittimus, dum tanti eius machinamenta honorare videmur. Quapropter dum suggestiones eius sentis, statim, si te amas, occurres atque veluti irritabili bile percitus illi impera. *Vade sathana.* Non est fas tibi obsequi, alteri in baptismo nomẽ dedi. Apage scelestè in malam rem, alterum habeo herum, cui sum deuinctus. Hic facit quod habet Gregorius Nazianzenus. Tanquam mendicum, inquit, contemne diabolum, nec vnquã desperes. Adorari expetit: Tu verò signaculo confisus respõde: Et ego Dei sum imago. Nondum vt tu, cælo propter elationẽ excidi. Christum baptismate acquisiui. Tu potius me adora. Hactenus Gregorius. Legimus 4. Reg. 18. quo pacto Rabsaces, vt terrore percelleret ciues Hierosolymitanos, digna atque indigna vociferaretur: Deumque tanquã diaboli membrum & satelles blasphemaret. Populus autem ne responso quidem eum est dignatus, sed contempsit blasphemũ. Sic omnino sic facere eum decet

Gregor. Nazianz. oration. in sanctum lauachrum.

4 Reg. 18.

decet, qui à diabolo tentatur. Debet prauas eius suggestiones floccipendere, imò ne expendere quidem secum, quid ille velit. Tū ille se spretum sentiens, mirè indignabitur, ac irrisus confusúsque discedet.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Pro seruies, Græci legunt λατρεύσεις, Septuaginta interpretes hoc verbum ferè exponunt de cultu diuino. Imò & patres etiam τὴν λατρείαν, interpretantur peculiarem quendam cultum qui vni Deo debetur. Id prolixè annotauit D. Augustinus lib. 10. de ciuit. cap. 1. Hinc ortam opinor apud Theologos triplicem illam venerationis distinctionem, videlicet latrię, dulię, & hyperduliæ. Id fusissimè docet D. Thomas Aquinas 3. parte. *Aug. 10 li. de ciui. c. 1* *S. Thomas 3. parte quæst. 25.*

Tunc reliquit eum diabolus. Veluti fulmine quodam repulsus cessit. Mira enim erat verbi vel potius præcepti eius vis & efficacia, quando ait, *Vade satana.*

Et ecce accesserunt angeli, & ministrabant ei. Ecce quomodo victoria de diabolo, angelorum acquirit consortium. Sunt enim vt in militia humana quædam rerum vices, & labores otio, dura iucundis recreantur, atque post diros ancipitesque conflictus celebrantur epinicia, milites quoq; collaudantur, & amplissimam pecuniam pro re fœliciter gesta accipiūt: sic etiam in Christi fit militia. Nam post impuri spiritus improbam toleratam oppugnationem, mox angeli adsunt, congratulantes victoribus. Arbitror ego angelos istos in humana forma accessisse, & regi suo cibum, potumque attulisse.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

A Spiritu. Ne quiſpiam eo deſcendat abſurditatis, vt Ieſum noſtrum à malo ſpiritu in deſertum eſſe ductũ exiſtimet, huic incõmodo medebitur textus Grecus, qui habet ὑπὸ τοῦ πνεύματος, quod certè de Spiritu S. eſt accipiendum, cuius meminit poſtrema pars præcedentis capitis. Et quanquam negare nolim hanc vocem πνευμα, aliter poſſe intelligi, ex ſuæ vi ſignificationis, ſuccurrit tamen noſtræ annotationi Didymus, qui ſcribit hanc vocem in ſacris literis, cùm illi additur articulus, intelligi debere de ſpiritu ſancto. In Didymi igitur ſententiam libenter eamus.

2.

Queritur modò quale fuit illud deſertum vbi ieiunauit Dominus? Eruditiſsimus ille ſacræ Theologiæ profeſſor M. Ioannes Heſſelius, aſſerit fuiſſe illud quod eſt inter Hieruſalem & Ierico, vbi incidit homo quidam in latrones. *Luca 10.*

3.

Rarum videtur & ſingulare quod dicturus ſum, quod tamen ex varijs auctoribus confirmari & ſtabiliri poteſt, nempe quod Chriſtus tentatus ſit per totos quadraginta dies. Id ex Marco colligi poteſt, dicẽte: Erat quadraginta diebus & quadraginta noctibus in deſerto, & tentabatur à ſathana. Huic textui nõ facilè reſpõderi poteſt. Adde quod hęc ſententia nõ diſplicuit Remigio, Bedæ, Thomæ, Caietano, qui ait, quòd diabolus potuit multas corporales ſimilitudines formare ad tentandũ Chriſtũ, ſicut legimus eũ ad tentandum Antoniũ efformaſſe. *Mar. 1.* *Beda in Marcum.* *Thomas 3. par. quæſt. 41. art. 3.*

4.

Quarto notandum ex Caietano in quæſt. 41. 3. partis art. 4. quòd quando Chriſtus dicitur aſſumptus à diabolo, non hoc eſſe ita intelligẽdum, quaſi in collo aut dorſo portatus ſit, ſed ſolùm quòd ſit ductus

ductus ab eo, ficut Chriſtus Matthæi 17. legitur aſſumpſiſſe Petrum, & duos filios Zebedæi.

5.

Hallucinatur omnino ac turpiter labitur Martinus Bucerus, qui aſſeuerare audet Domini ſenſus per Sathanã fuiſſe deluſos, vt modò in tẽpli pinnaculo, modò in excelſo monte ſibi videretur collocatus. Sed valeat hic error tam abſurdus. Qui enim ludificari potuit tam perfecta, & ipſi omnium bonorum & ſcientiarum fonti coniuncta anima.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ EVANGEL.

Matthæi 15.

Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Vtraq; ciuitas, tam Sidon quàm Tyrus, ad Phęniciam pertinet, videatur Pomponius Mela de ſitu orbis, Diodorus lib. 17. Q. Curtius libr. 4. Iuſtinus lib. 18. Tyrus Chananæorum olim erat metropolis, quorum ditionem Sidon ab aquilonari parte terminabat, quam Plinius lib. 5. aſſerit non multum à Carmelo diſtare, vitrique eſſe opificem: Tyrum verò olim præalto mari, 700. paſsibus diuiſam fuiſſe, nunc verò Alexandri magni operibus continentem factã, conchilio purpuraque nobiliſsimam. Verùm hæc ad topographiam pertinent. Seceſſu iſto non obſcurè indicat Chriſtus, quòd aliquãdo ad gentium populum relictis Iudæis ſit abiturus, tectè interim docens Apoſtolos, quid, vbi à Iudæis fuerint repulſi, ſint facturi. Hæc enim vel præcipua videtur fuiſſe huius Domini ſeceſſus, in has partes ratio. Ipſo igitur hoc facto Chriſtus vaticinatur ſe à ſynagoga reijciẽdum, tan-

quam alterum Moysen,& à Pharaonis filia obuio & expanso gremio excipiendum. Id quod D. Paulus postea accepto diuinæ voluptatis gustu,apertè & intrepidè Iudæis refractarijs est
Act cap 13 comminatus. Vobis,inquit, primum oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud,& indignos vos iudicastis æternę vitę,ecce conuertimur ad Gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. Audientes autem Gentes,gauisi sunt,& glorificabant verbum Domini.Hic textus certè clarissimus est ad ostendendum quàm obuijs vlnis atq; incredibili gaudio Gentes exceperint verbum Domini,prius à Iudæis pro vili & despicato habitum. Pulcherrimè id
Esaia 49. nobis commonstrat Esaias cap.49. Parum(inquit pater ad filium) mihi est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas: dedi te in lucem gẽtium, vt sis salus mea vsque ad extremum terrę.Iam enim tempus appetebat,quo vellus Gedeonis aridum & omni verbi diuini rore destitutum, latissimam
Iudic.6. orbis aream complui & imbui sineret.

Et ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa.
Marci 7. Syrophœnissa hæc (sic enim illam vocat Marcus)misera erat, sed eo tamen nomine fœlix, quòd medicum agnouit, fœlicior quòd recta illũ, vbi accepisset aduenisse, accessit. Iam enim rumor latè se sparserat,Iesum illum prophetam tot nominibus suspiciendum aduenire. Imò tam latè se porrexit eius fama, vt & Iudææ fines exiret. Recisis igitur impigra muliercula remoris omnibus, fiduciæ plena occurrere cogitat. Egreditur itaque fines terræ suæ, & iam pro-

propinqua medico miſerabilem exerit, extollitque vocem, qua vel rigida ſaxa penetrare poſſet. Myſticè. Mulier hæc Chananæa, Eccleſiam nobis deliniat ex Gentibus, quæ prius à Deo deſerta videbatur, ac inter canes recenſeri digna: ſed quæ tandem ob fidem, & ſingularem de ſaluatoris benignitate conceptã fiduciã, à dęmonum cultu & fœdiſsimis peccatis liberata eſt. Clamauit itaque arida gentilitas ad gratiæ fontẽ vt irrigaretur: ægra, vt à peritiſsimo medico potaretur: egena & pluſquam miſera, vt à potentiſsimo rege locupletaretur. Hic obiter fratres vos volo commonitos, ingens huic medico eſſe tormentum, quòd oleo ſaluifico totus delibutus ad vos properet, & tam raros ſibi videat atque offendat occurrentes. Quid nidum maleſani premimus, & nõ properamus gratioſiſsimi redemptoris amplexibus nos offerre? Clamabat ad Dominum. Vtinam non ad indigas & egentes opis creaturas conclamemus. Hei mihi, quot reperies in hoc vaſtiſsimo orbe, quorum plurimi ad fallaces & Chriſtiano homine pudendas voluptates, multi ad honores, nonnulli ad fugitiuas diuitias aſpirent atq; acclament? Quis hęc feret? Grauiſsimè peccabant Iudæi, quòd Ægyptiorum auxiliũ reſpexiſſent. Et meritiſsimo reprehenſus eſt Ochoſias rex quòd ad Deum Accaron ſua vota aperuiſſet, haud aliter, inquit Elias, acſi non eſſet Deus in Iſraël. Quæ enim hæc eſt ineptia, ſtudioſè foris ea quærere, quorum tibi domi ingens ſuppetit copia? Vnde rectè Ioã. Chryſoſtomus hoc mulieris conſilium probat, quod nõ ad diuinos, aut magos

4. Reg. 1.

Chry. hom. de Chananæa.

magos sit profecta, non inanes alligaturas quæsierit, non impostrices mulieres cōsuluerit, qua
1. Reg. 18. in re Saul Dominum grauissimè offendit, dum Phytonissam rebus suis exulceratis & ferè iam deploratis adhibet. Nunc verò cordatæ huius mulieris preces & vota expressa clamoris eius formula audiamus.

Miserere mei Domine fili David. Filia mea malè à dæmonio vexatur. Dominum vocat, vt quę nihil ambigat eum posse saluare. Filiū verò Dauidis appellat, veluti commonefaciens illum clementiæ Dauidicæ familiæ, cuius ipse, si eius humanitatem respicias, certissima stirps erat. Vult igitur dicere iam opis omnis & cōsilij expers mulier: Domine filius Dauidis factus es, vt possem cum libertate quadam te cōpellare, & cum fiducia meos æstus & dolores omnes in tuum sinū deponere. Frater noster effectus es, non repellas sororem, humilis factus es, ne formidem. Cùm igitur in te cernam tot misericordiæ argumenta, quæso, *Miserere mei.* Sed quid obsecro illam malè habet aut sollicitat? *Mei, inquit, miserere.* Rectè sanè, quoniam matri & filiæ dolor solet esse communis. Quod adeò verum est, vt non solùm Turcarum aut Iudæorum, sed etiam efferarum & barbararum gentium fœminę prolium suarum languores & ærumnas suas esse reputent. Huc enim inclinat potentissima naturæ lex, quam non facilè poterit quis obscurare, aut obliterare.

Filia mea. Iustus mihi Domine dolor est, iustæ querelæ. Filia est, & quidem animo meo charissima, quam ita immaniter tamen exagitat

tat cacodæmon,vt sui omnino impos sit. Quid igitur faciã,ô fili Dauid,quid faciam? Quotidie meos gemitus audio, meas lachrymas audio. Si aliena esset,malim quouis multari exilio,quã illi adesse. malim in vltimas terras deportari, sed astorga,hoc est absque omni affectu esse nequeo. Filia enim est. Quo fugiam? In desertum? sed illam solam relinquere vetat materna pietas. In domo sedere vix possum tamen,quia ibi est intrinsecus inimicus. Verũ,ô mulier,quibus moribus,quibus gestibus vtitur? Dicam. Cerno quotidie oculos eius trãsuersos, aspectũ sanguineum, manus intortas, dissolutã & sine ordine sparsam comã,ora spumãtia,labia distorta, Neminẽ audio interrogantẽ,audio tamẽ illã horribili cum clamore respondentem. O itaque fili Dauid miserere mei. Antiqua fama est patrem tuum pulsu cytharæ pepulisse dæmonia. Imò & Saüle rege agitato commitigauit malum: tu itaque,si quid vel artis,vel opis in te est,si quid paternum tibi est reliquum, misericordiæ cytharam pulsato,vt filiæ meæ animus nonnihil recreetur. Pudorem mihi tollit necessitas. Fidem adfero,fidutiam exhibeo, *Fili Dauid miserere mei*. Hic matres omnes commonitas velim, ad hanc matrem aliquando attollere oculos, ac secum meditari sedulo,qua diligentia & sollicitudine proprias curẽt proles. Monicas et Mammæas esse decet,quarũ altera Augustinũ, altera Alexandrũ filium imperatorẽ ad pietatẽ erudientes,plurimam apud Deum & mortales omnes laudã sibi quæsierunt. His matribus vel iunxero libẽter vel prætulero septem Macha-

bæorum matrem,quę quantum laborarit,ne filij sui, vel consecrarentur dæmonibus, vel idololatriæ,docet Machabæorum liber secundus. (*2.Macha.7*) Apud omnes idoneos scriptores malè semper audierunt Megarenses,quòd potior illis ouium & arietum esset cura quàm liberorũ. Hinc non absurdè Philosophus ille: Malim,inquit,Megarensium esse aries quàm filius, quo significabat Megarēses maiorem habere ouium curā quàm filiorum. (*Elianus li.12. id dictum tribuit Diogeni.*) Ab hac Chananitide precādi formam etiam ipsis Christianis petere licet. Hęc primo beneuolentiam eius, cui supplicatura est sibi conciliat. Id quod in lib. de sermone Domini in monte monet & docet D.Augustinus. (*Aug lib.de serm. Domini in monte.*) Tertullianus à testimonio Dei & merito fidei ordiendam vult esse orationem nostram. (*Tertu li.de oratione.*) Quod sanè arcana,opinor, spiritus sancti inspiratione egregiè seruauit Chananæa. Gregorius Nyssenus libello de oratione grauiter quæritur, diligentiam & studium precandi Deum, à nobis negligi. (*Greg.Nyssenus lib. de oratione.*) Nō alloquimur,inquit,homuntionem, quin prius ea quæ prolaturi sumus,cogitemus: Deum verò præcipitanter & nulla vel fidei vel spei ratione habita adimus. Si iuxta Chrysostomum angelorum opus est Deum precari, vide obsecro quàm accuratè & non oscitanter fieri debeat. (*Li. de orādo Deum.*)

Qui non respondit ei verbum. Quis non miretur? Rogat mulier,deflet casum suum, enarrat morbum,& amator hominum non respondet. Clamat creatura plena miseriæ, & tacet verbum plenūm misericordiæ. Fons continet venas,medicus retinet medicamenta. Quid agis

Domi-

Domine, quid agis? Alios mones vt ſequantur, alios vt precentur, & hanc rogantem ſequentemque repellis, atque à te profligas? Quis noſtrum tam ferrei eſt animi, tam cornea fibra, vt ſi voluntate, vel nutu, aut verbo queat opem ferre miſerę, nõ ſtatim id ſit facturus? Num Caleph te Domine eſt clementior, qui grauiter ſuſpirantem & ſequentem Axam dignatus eſt alloquio, & auxilio? Rebecca etiam camelis propinat de puteo, & tu illa durior, qui nolis ſiticulo potare de fonte proprio? Caput pro mẽbris, dux pro militibus, princeps pro ſubditis, paſtor pro ouibus, & ſe, & ſua omnia expoſita habere debet & obuia: & tu cùm vnus expleas hæc nomina omnia, nihil præſtas? Nunc rationem reddamus pro Domino noſtro Ieſu, eiuſque puſilli licet, ſi permittat, apologiam in medium adferamus. Non confeſtim reſpondet calamitoſæ mulierculæ Chriſtus, ne Phariſæis & Iudæis indignandi aut obtrectandi anſam præbeat, ne videlicet vociferarẽtur eum Gentibus, aut incircunciſis eſſe affinem, aut eorum ſtudia ac mores probare: Quod ei aliquoties obiecerunt. Poſterior ratio eſt, vt latentes in imo pectoris Chananææ theſauros modeſtiæ, fiduciæ, & perſeuerãtiæ hoc pacto eliceret, vnde capto exemplo alij ædificarentur. Muliere enim ſerio clamãte, & Domino non imprudenter diſſimulante, ſalutemque differente, vt pietas materna erga filiam magis magiſq; emicuit, ita erga Dominum Ieſum fidei & fiduciæ feruor magis eſt accenſus: vt quò ille magis videretur negare, hoc illa magis rogare. Adeò autem pulcherri-

Iudic. 1.

Geneſ. 25.

Ioannis 4.

cherrimum hoc inter medicũ & miseram certamen gliscebat, vt Apostoli omnes commouerentur, mulierique tam supplici benefactum cuperent.

Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Agnoscis hic synceræ charitatis genium & naturam. Rogant enim non rogati, beneficiumque impetrare conantur non postulanti. Hic facilè perspicis, quàm sint à fraterna charitate alieni, qui etiã improbis precibus supplicantes abs se amoliuntur. Iacobus Apostolus in canonica sua ca. 5. Orate pro inuicẽ, vt saluemini. *Dimitte eam.* Non dissimiliter locutus est Giesi ad Elisæum, Dimitte eam, videlicet Sunamiten illã, quæ defuncti filioli luctu ferè oppressa ad prophetæ se pedes supplex demitteret. Hylar. Theoph. Euthymius ex hoc loco intercessionem astruunt Apostolorum. Sed dices, Apostoli modò sunt in hoc mundo defuncti. Non diffitemur istud, sed viuunt interim in cælo apud Christum. Charitas iussit eos precari in terra, eadem & nunc iussit eos supplicare in cælo. Scribit Origenes hom. 3. in Cant. cant. habentes adhuc charitatem erga eos qui in mundo sunt, dicuntur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis. Idem ferè habet Theodoretus ser. 8. Græcarum affect. Gregorius Naziãzenus inuocat B. Basilium in oratione funebri, sub calcem. Carmen est Prudẽtij pulcherrimum & elegantissimum de martyrio 18. vbi sic canit:

[Margin: Iacob. 5. | 4. Reg. 4. | Orig. hom. 3. Cãt. cãt. | Greg. Nazianz. in oratione funebri. | Prudẽtius.]

Hæc sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur

Turba,

Turba, quam seruat procerum creatrix
purpureorum.
Sterne te totam generosa, sanctis
Ciuitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas & artus
tota sequeris.

Idem in hymno de beato Vincentio, sic scribit, atque eum interpellat:

Adesto nunc & percipe
Voces precantum supplices
Nostri reatus, efficax
Orator ad thronum patris.

Memoriæ nobis prodidit Nicephorus Theodosium Imperatorem preces fudisse ad D. Ioãnem Chrysostomum, iam vita functum. Quin & Suidas non contemnendus auctor, testatur B. Nicolaum Myrorum Liciæ episcopũ, acerrimum Christianorum æmulatorem & sacerdotem, in hunc vsque diem, eos qui eius intercessionem expetunt, ab omni necessitate liberare. Et quid hoc mirum est? Si charitas olim fraterna diuorum & piorum ora aperuit, labia diduxit, pectus concitauit ad fundendas preces pro ijs qui periclitabantur, quanto potius modo, dum & syncerior est & maior, hoc idem est præstitura? Orauerunt pro miseris, dum adhuc pro se solliciti esse debuerũt, & modò omni soluti cura, omni metu liberi benefica sunt ora clausuri. Non fit mihi istud verisimile. Nec leue est D. Hieronymi argumẽtum contra Vigilantium. Paulus, inquit, pro ducentis septuaginta sex hominibus secum nauigantibus, est precatus, audiuitque ab angelo omnes eos suis preci-

Niceph lib. 14. ca. 43.

Hieronym. contra Vigilantium.

patriarcha benedicit filijs Ioseph. Sic ibi legis: Deus in cui⁹ cõspectu ambulauerũt patres mei Abrahã,& Isaac, Deus qui pascit me ab adolescẽtia mea vsq; in præsentẽ diẽ, angelus qui eripuit me de cũctis malis, benedicat pueris istis, et inuocetur super eos nomẽ meũ, nomina quoq; patrũ meorũ, Abrahã, Isaac. Quid hîc dicemus? Si possunt citra idolatriã super pueros aut alios homines inuocari nomina diuorũ patrũ veteris testamẽti, quid modò vetat super alios inuocari nomina Apostol. aut Euãg. Petri, Pauli, Iacobi? etc. Sed hęc fusi⁹ fortassis, vbi fuerit opportunũ.

Ille autẽ respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël, Non hoc dicit quasi ad Gentes, inquit Hierô. nõ sit missus, sed quod primũ ad Israël, vt illis non recipientibus iusta ad Gentes esset trãsitio & emigratio. Sed hîc mihi considera incredibilẽ Domini pietatẽ, qui canes rabidissimos & rapacissimos lupos, ouiũ nomine appellare gaudet. Oues vocat, & reuera lupi pleriq; erãt, qui sanguinis ipsius pastoris sitiẽtissimi erant. Psal. 21. Aperuerũt super me os suũ, sicut leo rapiẽs & rugiẽs. Verùm hæc Domini Iesu benignitas singularis, qui vt doceat nos inimicos diligere, & benefacere his qui oderunt nos, persecutores suos ouium nomine cohonestat. D. Paulus Iudæos dicit inimicos propter euãgelium, sed dilectos propter patres, & sic reuera canes erant, quia latrabant contra euangelium, & oues, quia à sanctissimis patribus descenderant.

Hieronym. in Matth. *Psal. 21.* *Matth. 5.* *Rom. 11.*

Non sum missus nisi ad oues. Acerbissimũ istud respõsum est pro misera muliercula, quod quouis ful-

plex adoro vti ouis paſtorem. Adiuua me, ô paſtor, adiuua me ouem infirmam. Marcus ait quòd procidit in genua, dicens: Domine adiuua me. Ego nihil efficere poſſum, nihil tuæ prudẽtiæ præſcribo, tu facilè potes ex cane facere ouem. Operæpretium fecerit lector, ſi conſideret hic mulierem loqui nomine filiæ ſuæ. Pro ſe rogat medicum, & tamen filia ægrotat. Ita moris eſt in baptiſmo, vt ſuſceptor pueri cathecizetur, & quaſi pro ſe loquatur, cùm tamen infantis negotiũ peragat. Suſceptor enim tum gerit baptizandi pueri perſonam, cùm reſpondens ait: Abrenuntio, Credo, baptizari volo. *Marci 7.*

Adorabat eum. Videbat extrà humanitatem, credidit intus diuinitatem, ait Origenes tomo 11. in Matth. Quem ſequitur & Hieronymus. Credit aliud, videt aliud D. Ambroſius lib. 4. de ſacramen. c. 5. Ne dicas, inquit, Ecce panem tantum video, & quomodo hic Chriſtum adorabo? Videbat mulier & veſtẽ Chriſti, & corporis ſuperficiem. Adorauit tamen eum, quem non hominem tantum, ſed Deum eſſe credidit. *Origenes. tom. 11. Hieronym.*

Qui reſpondens ait, non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Ita exponit M. N. Heſſelius, Iudæi ſunt filij Dei, beneficia mea ſunt panes eorum: Gẽtiles autem omnes, qualis tu es, ſunt canes propter idololatriam. Non eſt igitur decorum, quòd tu mulier gentilis beneficiorum meorum, cùm tam multi filij ſint egentes, particeps fias.

Quæ reſpondens, ait: Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Profectò Domine verum dicis.

Canis ſum, & propterea neutiquam eſt abſurdum ſi implorem opem tuam. Amplector Domine lubenter reſponſum tuũ, etſi ſpecie contumelioſum. Nã ex eo quod videbatur repulſa, arripit anſam, ne poſſet repelli. Nihil equidẽ inuideo rerum Dominis Iudæis, quòd lauti & ſplendidi menſæ tuæ accumbant, atque ad ſatietatem ſacris panibus vtantur: ſed hoc vnum à te Domine iterum atq; iterum moneo, vt ius bucellarum è filiorum menſa defluentium mihi indulgeas, ne fame peream. Canem me vocas, canis ſum, agnoſco vocabulũ etſi probroſum: ſequor igitur vt conſequar aliquid. Canis ſum, ſed vtinã velis ex hac fœda catella, potes enim, ouem facere. Iam ſub menſa repo, tum etiam cum filijs aſsiderem. Scio Iudæos dominos eſſe, & te ad illos miſſum: habeant illi panes, ego ſolùm micam poſtulo. Non equidem me tanto dignor honore, vt cum filijs & ſuauiſsimo patre ad menſam ſedeam: reliquijs contenta ſum catulorum, vt per humilitatẽ micarum ad panis integri veniam integritatem. Hiero. in Matth.

Nam & catelli edunt de menſa dominorũ ſuorum. Quis arbitretur mulierculam hanc inſulſam aut ineptam, quæ ita Ieſum in verbis ſuis concludit. Ille canem appellat, admittit iſta opprobrium, & rogat, vt canis eius manere poſſit, admittit & ille. Mox iſta ex canis natura educit argumentum. Igitur, inquit, æquum & fas eſt me gaudere micis herilis menſæ, quę nõ obſeruatæ in terram defluunt. Sic ô viri, ſic ô mulieres, fœminam hanc imitari oportet. Si te æſtus cordis tui neceſsitateſque effundendo, reſpon-

respondeat Dominus, quid tibi faciam, quid præstabo? Peccator es & quidem sceleratissimus. Fatere istud ingenuè. Peccator, inquies, sum, atque misericordia tua & gratia planè indignus: sed liceat mihi Domine vera profiteri, tu pollicitus es veniã peccatoribus, peccata sua *Esaiæ 30.* damnantibus, & toto pectore ad te se conuer- *Ezech. 18.* tentibus. Quapropter oro Domine sta promissis, & miserere mei. Sic egit in ardentissima illa precatione sua Manasses rex. Tu, inquit, Domi *2. Paral.* ne, secũdum bonitatem tuam promisisti pœni- *vlt. cap.* tentiam remissionis peccatorum. Deinde statim refert se peccasse super numerũ arenę maris. Postea subinfert: Peccaui Domine, peccaui, iniquitatem meam agnosco. Peto rogans te Domine, remitte mihi, remitte mihi, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis. Sic & Dauid precatur. Tibi soli peccaui, & malum co- *Psal. 50.* ram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Quam sententiam ita interpretatur D. Gregor. Precor vt miserearis, *Gregor. in* vt culpas laues, vt iustificeris. Id est, vt appareas *Psal. 50.* verax in promissis tuis. Iudicant te, qui negant post lapsum reparationem fieri: quos lapsus si mihi ignoueris, veluti fabricatores mendacij, & peruersorum dogmatũ cultores superabis.

Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis: & sanata est filia eius ex illa hora. Plurimæ ęque illustres emicant in mulieris animo virtutes. Primo humilitas quòd se fatetur vilem esse catellam. Modestia quòd canum ius proponẽs non expressè inferat, quòd etiam sibi meritò competat id cõcedi

à Domino, ſed id Domino relinquit colligendũ. Fides, quòd filię ſalutẽ pro mica computet, conſideratione nimirum potentiæ eius, qua longè maiora poſſet Iudæis præſtare. Prudentia, quia gentilis licet mulier Dei ſapientiam ſuperauit, eamq́ue proprij ſui oris verbis comprehendit, & illaqueauit vertens in argumentũ impetrãdi quod dictum videbatur ad eam abigendum. Perinde enim erat, ac ſi dixiſſet: Canem me dicis, canem me fateor, ergo nutri me vt canem. Hactenus D. R. Ianſenius.

Magna eſt fides tua. Id eſt, non vulgaris, non communis. Si Dominus etiam probrum, vt huic mulieri, iniecerit, gaude, & infracto animo perfer, nec enim ſine grandi fœnore ſoluet. Si canem te dixerit, filium faciet. Si induerit te
Pſal. 29. ſacco, circundabit te lætitia, quia gloriam præ-
Prouer. 15 cedit humilitas. Neque enim munere aliquo
Pſal. 118. digni efficimur, niſi humiliati. Ergo bonum mihi Domine, quia humiliaſti me.

Magna eſt fides tua. Magna eſt fides: primò, quia benè fundata erat, adeò vt nullis repulſionibus emoueretur: ſecundò, quia ingenti charitate erga filiam rutilabat: tertiò, quia magna deuotione fuit vncta. Auguſt. prima quæſt. ad Dulcitium: Non ait, ô canis, magna eſt fides tua, ſed ô mulier. Mutauit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque correptionem ſuam ad fructum perueniſſe vidit.

Sanata eſt filia eius ex illa hora. Hic apertè habemus fidem & deuotionẽ alienam prodeſſe.
Optatus Mileuitanus lib. 4. Optatus Mileuitanus lib. 4. contra Parmenianum cũ facto iſtius Chananææ allegat, vt probet pa-

bet parentum fidem paruulis in baptiſmo prodeſſe. D. Bernardus ſerm. 66. in Cantica, plurimam oſtendit vtilitatem in baptizãdis paruulis fidem habere alienam. Quid ſi infans, inquit, pro ſe loqui non poteſt, pro quo vox ſanguinis fratris ſui, & talis fratris, clamat ad Deum de terra? Adſtat & clamat nihilominus mater Eccleſia. Quid tamen infans? Nónne & ipſe videtur tibi inhiare quodammodo de fontibus ſaluatoris, ſuiſq; e vagitibus clamitare: Domine vim patior, reſpõde pro me? Flagitat auxilium gratiæ, qui vim patitur ab origine. Nemo mihi dicat, quia non habet fidem cui mater impertit ſuam. Magna eſt Eccleſiæ fides. Nunquid minor fide Chananææ mulieris quam conſtat & filiæ ſufficere potuiſſe & ſibi? Ideo audiuit, O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti. Nunquid minor fide illorũ qui paralyticum per tegulas demiſerunt? Habes ibi, quorum vt vidit fidem, ait paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata. Hæc Bernardus.

Bernard. ſer. 66 in Cant. cant. *Geneſ. 4.* *Matth. 15.* *Matth. 9.*

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

I.

Repugnantia videtur in euangelio Chananææ, dum Marcus dicat mulierem ingreſſam domum ad Ieſum, Matthæus verò apertè ait in via acceſsiſſe. Dupliciter igitur tollitur hæc repugnantia. Priori modo tolli poteſt ſecundum Auguſtinum, vt dicatur mulier hęc primo in domo rogaſſe Ieſum, quod ait Marcus, Dominum autem nil reſpondentem egreſſum domum, & mulierem ſequentem in via iterũ eum compellaſſe, & ſic ſcribit Matthæus. Poſteriori modo dici poteſt, quòd mulier eum offen-

dit in via secundum Matthæum, & sic secuta est clamans in domum vsque, & ibi supplicem exorasse Dominum. Sic Matthæum & Marcum conciliat, & meo iudicio, optimè Zacharias Chrysopolitanus. Priorem modum amplectitur Augustinus, cui subscribit M.N. Hesselius.

Aug. lib. 2. de consensu euangelist. cap. 49.

2.

Non sum missus nisi ad oues Israël. Commodè interpretatur August. hunc locum, tract. 47. in Ioan. Quid est, inquit, non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël, nisi quia præsentiā suam corporalem non exhibuit nisi populo Israël? Ad gentes non perrexit ipse, sed misit ad populū verò Israël, & misit, & venit ipse. Similia habet trac. 31. sub finē.

3.

Aug. lib. de fide & operibus c. 16

Notat D. Aug. lib. de fide & operibus, cap. 16. & in q. 1. ad Dulcitiū, fidē huius mulieris non fuisse mortuā. Miror, inquit, si laudaret in ea fidē sine operibus, id est, fidē nō talē, quæ per dilectionē operaretur fidem mortuā, & quod Iacobus dicere minimè dubitauit fidem non Christianorū, sed dæmonum.

Iacob. 2.

4.

Non est bonum sumere panem filiorum. Græcè est καλὸν, Id verò significat honestum & pulchrum magis, quàm bonum, quod Græcis dicitur ἀγαθὸν.

5.

Mittere canibus. Græcè habes, τοῖς κυναρίοις, mittere catellis. Idq́ sonat paulò delicatius.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ EVANGELIVM.

Lucæ cap. 11.

ERAT *Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum, & cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus.* Quemadmodum duo sunt regna, Babylonicum & Hierosolymiticum, quorū alterum homines prauos pro ciuibus, alterum pios & mode-

modestos habet: ita quoq; duo eorum sunt reges, Christus nempe & Sathan. Hi duo imperatores studijs & moribus inter se immẽso distant interuallo, ac pro se nituntur quisque sedulò, vt quamplurimos sub signis suis habeant. O cæci mortales, si oculos aperiretis & consideraretis, quãto conatu, quanto apparatu, imò quanto sudore & labore Deus ad se vos vocare, & dæmon ad inamœnum suum imperiũ vos pellicere contendant? Deum immortalem, totus infernus tumultuatur, totum cælum vicissim perstrepit & satagit, vt me in partes suas ducãt: & ego interim suauiter dormio securus, sub quibus militem signis. Neque simplex erat hoc dæmonium, sed cæcum quoque & surdum fuit, vt ex altero quoque Euangelista colligere licet. Nam surdum fuisse Chrysostomus asserit ex dictione κωφος, quæ est apud Matthæum & Lucam. Cæcus erat miser iste, ne Iesum posset aspicere: mutus, ne posset appellare: surdus, ne consilium vllum, quo morbo mederetur, posset exaudire. Hic ludus tuus est, ô liuide serpens, ne via vlla misero suppeteret, aut aperiretur, qua ad salutem perueniret. Nihil itaque restabat, nisi vt medicus aliquis & saluator succurreret, & diaboli opera dissolueret. Et ecce adest Christus, qui tortorem à creatura sua abigat, atque exorcistam agat. *Matth. 12* *Chrys. in Matth.*

Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus. Ab effectu cognoscitur perfecta curatio. Sic paralyticus sanatus, cõfestim lectum tulit. Socrus Simonis Petri, statim inseruit medico suo Christo. Cæcus natus, mox clarissimè videt, & adolescens *Ioan. 5.* *Lucæ. 9.* *Ioan. 9.* *Lucæ 7.*

leſcens mortuus reſedit, ſeſeque erexit in libitina. Non poteſt igitur quiſpiam eximium aliquid de Chriſto proloqui, niſi ipſe os nobis & linguam expediat, in quo clamamus, Abba pater. Imò ne cogitare quidem aliquid inſigne aut
2. Corin. 3 egregium à nobis poſſumus, tanquam ex nobis: tantum abeſt, vt poſsimus linguæ plectro
Pſal. 50. ſonare. Hinc ille Pſaltes diuinus, Domine labia mea aperies, & os meũ annũtiabit laudẽ tuam.

Et admiratæ ſunt turbæ. Sol meridianus radijs ſuis & dormientium etiam oculos diducit & aperit, ita Chriſti virtus tam eſt efficax tamque potens, vt etiam nolentes quodammodo in ſui amorem pelliciat & admirationem. Sic apud
Matth. 27. præſidem Pilatum, cùm inter Phariſęorum accuſationes, & populi ferocientis, vel vt leuius dicam, deſipientis obſtreperas, inconditaſque voces obmuteſceret, in ſummam rapuit admirationem ipſum præſidem tam conſtans Ieſu
Act. 26. ſilentium. Sic Pauli conſtantiã & eloquentiam veraſq; virtutes adeò & admiratus rex Agrippa, vt parum abfuerit quin tranſierit ad Chriſtianiſmum. Imò tam per ſe ſpecioſa & amabilis eſt virtus, vt etiã immanes & crudeles ver-
Nicephorus tat in ſtuporem. Iulianus imperator licet fidei
li. 10. ca. 21 noſtræ apoſtata, & ſi quis vnquam alius iuratiſſimus hoſtis, admirabatur Chriſtianorum in alendis, fouẽdiſque pauperibus profuſiſsimam liberalitatem. Sic Marcus imperator in epiſtola ad Senatum Rom. Chriſtianam admiratur & confitetur pietatem, vt memoriæ nobis prodi-
Cicero lib. dit Iuſtinus martyr in apolog. 2. pro Chriſtian.
1. de natura deorum. Nihil eſt enim, quod præclarè ſcripſit M. Cicero, vir-

ro, virtute amabilius, quam qui adeptus erit, vbicumque erit gentium à nobis diligetur. Imò tanta eius vis eſt, vt eam & in hoſte, & in eis quos nunquam vidimus, amemus, vt idem ſcribit auctor aureo illo de amicitia libello. *libello de amicitia.*

Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Hoc arbitror dixiſſe impuriſsimos Phariſęos, quibus Domini virtus & miracula, bilem potius, & liuorem concitabant, quàm admirationem, aut venerationem. Aiunt medici eſſe morbos quoſdam adeó importunos, quibus ſi affectus homo fuerit, licet opiparis & delicatiſsimis vtatur cibis, macreſcet tamē, adeò morbi illi bonos humores omnes corrumpūt, aut in plegmata vertunt, digeſtioniq́ue ſanæ officiunt. Huiuſmodi morbo inuidi mihi laborare videntur, in quorum albo Phariſæos libēter inſcribo. Vnde non malè Horatius noſter.

Inuidus alterius rebus macreſcit opimis.

Imò quantò vberior in eo cui inuidet laudum ſeges & materia, tātò ſibi videtur fertilius vellicandi, obtrectandi, ſuggillandiq́ue trahere argumentum. Hinc inuiſorum ſibi virtutes, in quoſcunque inciderint, vitia appellant. Doctos & ſpiritus ſancti eruditione ad miraculum vſq; imbutos pro inſanis habent. Sic Feſtus ad Paulum: Inſanis Paule, multæ te literæ ad inſaniam cōuertunt. Sic liberalem prodigum, grauem tetricum & inhumanum, feſtiuum, & facilem, impurum, & laſciuum appellamus. *Act. ca. 26.*

Oderunt hylarem triſtes, triſtemq́, iocoſi,
Sedatum celeres agilem gnauumq́, remiſſi,

Horat. epistola 18. ad Lollium. *Potores bibuli media de nocte falerni*
Oderunt porecta negantem pocula, quamuis
Nocturnos iures te formidare vapores.

Fatentur igitur Christum eijcere dæmones, sed non virtute diuina, nempe propter pactum quod inijt cum principe dæmoniorum, qui alijs dęmonibus imperat, vt ad mandatū Iesu exeāt, & sic falluntur homines eum credentes Messiam esse, cùm nihil sit minus. Non ferant grauatim serui & discipuli Christi, si plæclara eorū à prauis & liuidis calumniatoribus vertantur in Matth. 10. partem deteriorē. Si enim patremfamilias, ait Christus, Beelzebub vocauerunt, quāto magis domesticos fidei? Non est seruus maior domino suo. Sic olim gentiles & apostatæ Christianis meram apud simplices & imperitos populos inuidiam conflauerunt mendacijs & effictis criminibus eos grauātes. Nam magiam & infanticidium eis exprobrabant, imò adulteria & incestum. Id testatur in Apologetico contra Gentiles Tertullianus. Iustinus in Apologia 2. pro Christianis, & Clemens Alexand. orat. adhortator. ad Grecos. Longum foret commemorare quibus dicterijs & scommatis in Iesum nostrum luserit Iulianus apostata, modò eum Galilæum, modò fabri filium appellitans. Petatur istud ex Nicephoro.

Tertull. in Apolog. cap. 9. Iustinus in Apol. Clemēs Alex. in orat. exhort. Niceph. lib. 10, cap. 35

Ipse autē vt vidit cogitationes eorū, dixit: Omne regnū in seipso diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Christus nón potuit ad tam horribilem blasphemiam non rumpere silentium, quia non solùm incredibili iniuria patrem affecerunt, à quo Christus missus erat, dū eum non

patris

patris sui opera facere criminarentur, sed alicuius non vulgaris dæmonis: sed etiam & plebem à suo Messia auerterunt. Quos varijs rationibus confutat. Prima ratio sumpta est ab experta frequenter regnorum instabilitate, vel domus internis dissidijs laceratæ & à se diuulsæ. Si igitur sathanas sathanam eijcit, quî poterit obsecro eius regnum consistere? Clarior igitur hæc sentẽtia est, quàm quæ multa egeat explicatione. Quid enim aliud est regnum aut ciuitas, quàm ciuium inter se concordia & vnio animorum? Concordia res paruæ crescunt, discordia etiam maximæ dilabuntur. Concordia munimen oppidorum. Cùm Agesilaus rogaretur, cùm dux Spartarum esset, cur Sparta nudata esset muris, digito monstratis ciuibus suis, en inquit, Spartæ muri sunt, quorum tanta est cõcordia, vt muro qui eos tutetur & propugnet, nihil egeant. Quid verò multum momenti aut munimenti habent muri aut vallum, si inter se dissideant ciues? Sed quemadmodum cemento mediante lapis ad lapidem in ædificio, inquit Chrysostomus, constringitur, sic in ædificio ecclesiæ Christianus ad Christianum mediante charitate connectitur. Corpus etiam in se nónne concidit humorum discordi redundantia, & diuersorum elementorum conflictu? Si membra inter se diuisa ad mutuum coniurent exitium, nónne breui interibunt?

Salustius.

Chry. hom. 7. in Matt.

Si autem Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelsebub me eijcere dæmonia. Poterat Hierosolyma à Vespasiano & Tito imperatoribus obsessa ferre obsi-

Iosephus de bello Iudaico.

obſidionem, cùm & pugnatorum multitudine & tritici copia frugumque aliarum aceruis, addam & murorum munimento eſſet inſtructiſſima: verùm cùm duces eius Simon, Ioannes, & Eliazarus quotidie inter ſe digladiarentur, imò & horrea tritici corrumperét in tanta animorum & armorum diſcordia, oportuit eam in Romanorum venire poteſtatem. Quid Hectorem Priami filium aduerſus Græcos pene reddidit inuictum, nónne Agamennonis & Achillis diſcordia? Rectiſsimè tum miles aliquis gregarius dicere potuiſſet: Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. Bellum ciuile quod primo in Mario & Scylla accendi cœpit, & poſtea in Cæſare & Pompeyo plenis agitatum ventis exarſit, Romanas vires adeo attriuit, vt ad penitus excidendum nihil defuerit aliud quã pertinax & potens hoſtis, qualis vel Pyrrhus, vel Hannibal, qui integrã fere Roman. Rempub. peſſundederunt. Quis vel mediocriter in Græcorum verſatus hiſtorijs ignorat Atheniẽſium Lacedæmoniorumque ſeditionibus florentiſsimam terrarum omnium Græciam concidiſſe? Sed noſtra potius non externa tantum conſideremus, quando populus Iudaicus cultu eſt diuiſus, vel Nabugodonozor vel Teglatphalaſſar aliquis bello laceſsitos Iſraëlitas in prædam abduxit. Valens & Conſtantius imperatores dum Chriſtianorum diſsidia componere negligunt, imò vt verius dicã, dum plus æquò Arrianis ſtudent, religionem euertunt. Eodem notandi carbone Valentinianus & Iuſtina. Vt interim Guelforum Gibellinorumque factiones

Homerus. *Horatius in arte.* *Plutarchus in vitis Imper.* *Cæſar de bello ciuili.* *Herodotus*

nes

nes silentio tegam. Nostra tempora non attingo, hæc verò alijs post me memoranda relinquo. Nam messis adhuc in herba est.

Si autem in Beelzebub eycio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Hæc est secunda ratio qua iam Pharisæos pressius aggreditur, qua apertè ostendit idem opus in se suggillari vitioque verti, quod in alijs laudatur ac virtuti tribuitur. Acsi dicat, quæ hæc est vestra non ignorantia, sed maleuolentia, si quis per me dæmon ab aliquo misero profligatur Beelzebub, aut alterius cacodæmonis fit auxilio. At si filij idem tentant, diuina fit virtute. Filios eorum hic appellat Apostolos. Acsi dicat, si Apostoli mei è vestra progenie sati & prognati non vtuntur malis artibus, cũ dæmonia pellunt, cur me reprehenditis? Certè constat filios vestros magiam ignorare, nec dæmonum cooperatione eijcere dæmonem. Si quis de miraculis dæmonum propius & fusius cognoscere cupiat, legat Augustinum lib. 22. de ciuit. Dei cap. 9. 10. & 11. In confesso verò est Apostolos dęmonia eiecisse, quam potestatem Matth. 10. acceperunt. Imò & 70. discipuli eadẽ virtutę, claruerunt. Nam aiunt, Domine etiam dæmonia nobis subijciuntur. *Aug. li. 22 de ciuit.* *Matth. 10.* *Luca 10.*

Ideo iudices vestri erũt. Id est discipuli mei, qui & vestri filij quoque sunt, tum vestræ nequitiæ, tum meę synceritatis iudices erunt olim, quando sedebunt supra duodecim sedes iudicaturi duodecim tribus Israël. In nostràmet causa cæcos nos quis fortè existimet iudices, Iudicent alij, arbitrentur alij. Totã causam à me lubenter *Luca 22.*

ter amolior, ne quiſpiam me vel philautum, vel pertinacem, qui cedere nolim exiſtimet.

Si autem in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Admonet hic Iudęos vt ſe pręparent ad regnum Dei amplectendum & acceptãdum. Lucas vocat digitũ Dei, quem Matthæus appellat ſpiritum Dei. Quando digitus ſcribebat in pariete, tum abolebatur regnum Babylonicum, ſurrexitque nouum regnum: ſic quando Chriſtus cœpit operari ſpiritu ſancto, introducta eſt noua quædam lex, nouum regnum, & noua quędam rerum facies: cœperuntque homines Deo ſeruire in ſpiritu, non in externis & nihil profuturis cęremonijs. In eiectione ergo dæmoniorum, certò iam colligere poterant Meſsiam aduenisse, qui diaboli regnum contereret, & Deum in hominibus regnare faceret. Nam diſsipatio regni diaboli, eſt adauctio regni Dei. Quod autem per digitum ſignificetur ſpiritus ſanctus, patet ex tertio ſigno Moyſis in Ægypto. Dicebant enim magi, digitus Dei eſt hic. Nam Moyſe excitante cyniphes, non potuerũt malefici hoc ſignum imitari, vnde exclamauerunt, digitus Dei eſt hic. Is eſt idẽ ſpiritus, ait D. Hieronymus, qui ſcripſit in tabulis lapideis legem decalogi, quo ſignificabatur quòd lex gratię ſeu Chriſti aliquãdo ſcribenda eſſet per ſpiritum ſanctum in cordibus noſtris, iuxta promiſsionẽ Dei per prophetam Ezech. ſed paulò apertius per Hieremiam: Dabo legem meã in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Id tra-ctat

Danielis 5 — *Exod. 8.* — *Hieron. in 12. Matth.* — *Exod. 31.* — *Ezech. 38.* — *Hierem. 31*

ctat D. Augustinus de spiritu & litera cap. 16. & 18. Notat hic quidam Christum ita faciliter eiecisse dæmonia, vt digitulo vno opus fuisse videatur ad id faciendum. Nam id leuiter nos facturos dicimus, quod digito vno facere possumus. Et profectò si ad Dei potestatem referre velis, digitulus Dei sat est ad totum infernum conterendum, quanquam si res in se spectetur, incredibilem habet difficultatem. Hoc digito sui spiritus tantas Deus facit in homine varietates, vt nec vestis Ioseph, Gen. 37. nec vestitus reginæ deauratus tam variatus fuerit, Psal. 44. Imò omnia quæ Beseleel depinxit in tabernaculo Domini, nihil ad hanc varietatem habent. Imò & cæli ipsi pulcherrimi opus sunt digiti Dei. Hic rursus mihi considera studiose lector, ingens odium magnamque Iudæorum cæcitatem, quia cùm malefici digiti diuini potentiam in excitatis cyniphibus sint admirati, & cùm Balthazar rex obstupuerit digitos scribentes in pariete, isti spiritum Dei apertissimè in eiectione dæmonum se exerẽtem, nec agnoscere, nec venerari voluerunt.

Aug. de spiritu & litera. 16. & 18.

Genes. 37.
Psal. 44.
Exod. 36.

Psal. 8.

Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus habebat fiduciã, & spolia eius distribuet. Per hãc tertiam rationẽ mole & robore maiori probatur, quòd non solum sathanas non eijcit sathanam, verùm etiam quòd ad Iudæos peruenerit regnum Dei. Vult ergo dicere Christus. O Iudæi cùm me videatis esse ingressum regnum diaboli, & arma ei è manibus excutere, in qui-

inquibus ſpem ſuam vnicam collocauit, nempe vim eius, technas, dolos, ac mille nocendi artes. Deinde cùm animaduertere poſsitis ſpolia me eius omnia, tanquam delicatos è gutture eius deuoratos bolos, incredibili virtute abripere, quę ſpolia homines ſunt illi deuoti & dedititi, argumentũ eſt me tanquã fortiorem iam illum alligaſſe & triumphaſſe. Ingreſſus eſt autem regnum diaboli per exhibitionem miraculorum & verbi ſui prædicationem. Tunc enim cœpit eum alligare, & comprimere eius poteſtatem.

Qui non eſt mecum, contra me eſt: qui non colligit mecum, diſpergit. Hæc quarta ratio eſt quæ vt breuiſsima, ita multo eſt efficaciſsima, qua omnino diſſoluitur, quicquid contra alias rationes obijci poſſet. D. Hieronymus propriè iſtud intelligit de diabolo, vt ſit ſenſus: Diabolus qui mecum non eſt eiuſdem voluntatis, ſed contrariæ in omnibus mihi aduerſatur, quoniam mei muneris meæq́ue benignitatis eſt diſperſos in vnum colligere gregem: eius verò nequitiæ eſt etiam coniunctiſsimos diuidere ac diſpergere, quomodo igitur vos aſſeuerare audetis me illi deuotum, coniunctum, aut confœderatum eſſe? Eruditiſsimus M.N. Ioan. Heſſels ſententiam hanc acutiſsimè interpretatur, eamq́; vult eſſe dictam contra eos, qui non apertè quidẽ Chriſto aduerſabantur, nolebant tamen ei adhærere. Profectò nulla in religione noſtra neutralitas eſſe poteſt, aut catholicus, aut hæreticus es. Qui enim Chriſto non adhærent, ex hoc ipſo diabolo coniunguntur. Sic Elias grauiter reprehen-

prehendit Iſraëlitas. Quouſque, inquit, claudicatis in duas partes? Videri poterat, alioqui laudatiſsimus imperator, Theodoſius hac in re peccare, qui & Arrianos, & catholicos, in vrbe Conſtantinopoli permiſit ſuos habere conuentus. Verum cùm à B. Amphilochio Iconij epiſcopo idcirco fuiſſet reprehenſus, ne neutralis videretur, Arrianos coërcuit. Elegans eſt hiſtoria quam pulchrè deſcribit Nicephor. lib. 12. cap. 9. Reprehenditur etiam eccleſia Tyatira, quòd permitteret mulierem Iezabelem docere & ſeducere ſeruos Dei. 3.Reg. 18. Niceph. li. 12.cap.9. Apoc. 2.

Qui non colligit mecum diſpergit. Chriſti ſanè eſt colligere, quod vel toto vitæ ſuæ tempore ei vnicum fuit ſtudium, ita inter ſe colligere fideles ſuos, vt Deo quoque patri eſſent coniuncti. Ioan. 17. Oro pater, inquit, vt ſint vnum in nobis, ſicut tu & ego vnum ſumus. Omnia verò quæ cõſultore & inſtigatore dæmone fiunt, diſperguntur, vt patet in Nembrot tyranno, cuius ædificatores, quòd inſtigante malo dæmone operarentur, in linguis diſſonis confunduntur. Sic & pſeudoprophetę Achab, qui cum Zedechia vaticinati ſunt, mendaces tandem, rerum euentu, cùm ingẽs à Iudæis eſſet accepta clades, mendaces agnoſcuntur, atq; ſe inuicem delapſi alij alio confuſi, abierunt. Idem euenit Baalinis ſacerdotibus, qui propoſita ab Elia cõditione planè diſsipabantur. Ad hunc locum pertinet, quòd ſectæ omnes, quæ vel aduerſus Chriſtum, vel aduerſus matrem, diuóſque omnes, aut ſacramenta ſeſe attollunt, compreſſæ & veritatis luce perculſæ diſsipabuntur, non Ioan. 17. Geneſ. 11. 3.Reg.22. 3.Reg.18.

1.Pet.2. secus atque nubes validis turbinibus agitatæ.

Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa & arida, quærens requiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui: & cùm venerit, inuenit eā scopis mundatam, & tunc vadit & assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Diuus Hieronymus per arida loca, intelligit gentium solitudines, destitutas olim omni spiritualium gratiarum humore, hoc est spiritu sancto: quæ cùm Domino credidissent, diabolus non inueniens locum, reuersus est ad Iudæos, à quibus olim expulsus erat in datione legis. Domum autem purgatam & vacantem, intelligit synagogam, Dei & angelorum præsidio destitutā, ornatam duntaxat Pharisæorum traditionibus, & frigidis legis obseruatiunculis. Verùm hæc interpretatio nō arridet doctissimo primo Gandensium Episcopo Iansenio, quòd potius sit nuda parabolæ explicatio, nec satis conueniat proposito Saluatoris. Sic igitur ipse explicat. Similitudine ab hominibus mutuata significatur, quemadmodum homo non inuenit sibi requiem in locis arētibus & desertis, sed mauult in ornata agēre domo: ita dæmones nullam sibi requiem inuenire, cùm ab hominibus sint expulsi, nisi rursus inueniant hominē aliquem, qui diabolo parauerit in seipso locum, eumq́ue vltrò inuitauerit. Veluti si quispiam cupidè excepturus hospitem, domum ac cubicula illi expurgauerit prius, eiectis omnibus quæ offendāt oculos, deinde pro ornatu induxerit quæcunq; illius

Hierony.

D.Cornel. Iansen. in concordia euāge.ica.

illius aspectui adblandiri & adlubescere queat, vt lubenter nimirum eo se recipiat. Quod autem additur, Tunc vadit & assumit alios spiritus, intelligẽdum est ad literam, dæmonem inuenta iam commoda habitatione, à qua semel erat expulsus, alios multos sibi adiungere, siue quòd reperta cõmoditate loci solus nolit frui, siue potius, vt iunctis copijs fortius & securius locum occupatum teneat, ne inde facilè rursus exturbetur. Diuus Augustinus intelligit parabolam de homine impio, quæ interpretatio & facilis, & commoda. *Aug. lib. 1. quæst. euã. quæst. 8. et epist. 105.*

Reuertar in domum meam. Mentiris nequam, non est domus tua, quod enim pro ea numerasti pretium? Dei est, Iesu est, is eam emit sanguine suo. Imò Ecclesiæ domus est, anima illa. Sed *1. Petr. 3.* fortè domum suam dicit, quòd ibi cernat nonnihil suum, nempe fomitem semper exstimulantem & sollicitantẽ ad peccatum, legem carnis repugnantem legi mentis. Si igitur hostes *Roma. 7.* nostros in nobis habet, qui arcẽ ad deditionem faciendam sollicitant, non est mirum, si vocare audeat suam domum? Saltem iam spe habet & occupat.

Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sed quare obsecro? Quia longè melius fuisset non liberatum fuisse à spiritu immundo, quàm iterũ ab eo occupari adiuncto satellitio aliorum septem, qui & ipsi nequiores sunt, hoc est maiora & grauiora peccata instigantes: vnde illustre fit hominem semel euictis vitijs iterum posse tentari & sollicitari, nullamque de perseuerantia in hac vita certam esse promissio-

 nem.

nem. Qui itaque ſtat, videat ne cadat. Fiunt etiam nouiſsima hominis iſtius peiora prioribus, quia peccato iuncta eſt ingratitudo. Deinde quia grauior vltio ſequetur. Peius enim eſt recidere, quàm incidere. Vides hic, ô Chriſtiane frater, quàm periculoſum ſit redire cum cane ad vomitũ. Hinc Dominus paralytico, Ecce ſanus factus, noli peccare, ne quid deterius tibi contingat. Si mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Miſeri qui redeunt ad damnatas ſordes. Vulnera renouata ac iterata recrudeſcere, & ſanitati obluctari ſolent. Hanc parabolam elegantiſsimè explicuit venerabilis pater Leuinus Balduini, qui Dominicanis Gãdenſibus olim 30. annis præfuit, ſumma ſanè cum laude. Vidi eius fragmenta quædam in euangelia Quadrageſimalia, digniſsima, ſi quid iudico, quæ typis Plantinianis, vel ſi quid ijs eſt venuſtius aut exactius, excudantur. Is ſedulò in huius euangelij explicatione, monebat populum Gandenſem, vt diabolum purioris confeſſionis remedio, & præcipuè crucis Chriſti meritis excluſum, longius à ſe diſtinerẽt arcerentque: atq; ita ſe gererẽt, ne ei vel vlla rimula ad reditum deinceps aperiretur. Pruriunt enim, inquiebat, illi pedes ad recurrendum, neq; obliuioni tradit hoſpitium ſuum. Quẽadmodum enim, inquit, vulpes & lupi, tametſi nonnunquam foris venentur, illæ gallinas, iſti oues, ſub veſperum tamẽ ſe recipiunt in ſua latibula, natura nimirum duce eos retrahẽte, ac quodammodo ad conſueta loca reducẽte: ſic dæmones non facilè negligunt hoſpitia ſua. Heu, inquit, quàm

2. Petri 2.

Ioan. 5.

Galat. 6.

quàm difficilè antiquum fœneratorē mammonam, antiquum adulterum Aſmodæum, antiquam meretricē Aſtarten ſuam, ab oſtio amato arcere, & ſemper ianuam clauſtraq; obijcere? Sed videte ne cōmittatis, vt iterum horridum illud & opacum nemus ingrediamini, vbi ſemel fortunis omnibus à crudeliſsimis graſſatoribus exuti eſtis, ne iterum ſublatis anchoris & velis, fragili cymba pelagus illud repetatis, vbi horrendo naufragio afflicti, imò immani vndarum vortice abſorpti eſtis. Hactenus Leuinus Balduini.

Factum eſt autem cùm hæc diceret, extollens vocē quadam mulier de turba, dixit illi. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimò, Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Aduerſus calumniatricem ſynagogam, aduerſus Phariſæorum liuidas technas & machinationes, ſpiritus ſanctus mulieris (quæ typum gerit Eccleſiæ) vocem nobis elicuit. Iā æterna ſapientia Ieſus, tribus aut quatuor rationibus efficaciſsimis, aduerſariorum nequitiam & inania commenta retuderat. Verùm illi, clariſsimæ veritati, odio Ieſu, cedere nolebant. Adornat igitur ſpiritus ſanctus mulierculam quandam, vilem quidem illam & infimæ ſortis, ſed quę viriles animos gereret. Ea in medium concionis intrepidè ſeſe erigens, veritatis ſe preconem, & encomiaſten conſtantiſsimam præbuit. Spiritus vbi vult ſpirat, ſiue per Samueles & Danieles pueros, ſiue per Debborā & Oldam mulieres. Extollere vocem, phraſis eſt Hebraica, pro eo acſi dicas, altū inclamare, *Ioan. 3.* *1. Reg. 2.* *Daniel. 13*

Esa.40. & 58. vt aliquoties & apud Esaiã in ea significatione accipitur, ca.40.& 58. vbi quasi tuba exaltare vocẽ, propheta iubetur. Sed quid obsecro clamat audax, &, nisi spiritus sanctus infuisset, impudẽs fœmina? Vnicam & singularem laudem virginis. Mulier virgini testimonium perhibet. Hic sanè impletur, quod ipsa Maria pluribus Luc.1. annis præsaga mente ante cecinerat. Beatam me dicent omnes generationes. Ecce præconium tale & Iesu & Apostolis & frequentibus auditoribus alijs præsentibus, ingenti vsa parresia mulier hæc cœpit in vulgus spargere, idq; voce sublimiori, vt ab omnibus facilè exaudiretur. Vtinam olim hanc vocem pronis hausissent auribus. Antidicomariani plus de intemerata hac virguncula venerationis & laudis vel fudisset calamus, vel deprompsisset lingua, inter quos Nestorius, & Heluidius, vt cæteros parthenomastyges silentio sepeliam.

Beatus venter qui te portauit, &c. Acsi dicat, O fili Dauid, quàm beata matre in lucem nobis es editus: quàm fœlix, inquam, quæ nouem te mẽsibus, castissimis gestauit visceribus. Quã beata vbera, quæ melleum succũ mellifluis tuis labijs instillàrũt? O cæcos Galilæos qui nubẽ, æterno sole candidissimã non viderũt, non suspexerũt, nõ coluerunt. Phij Nazareth, quę odoratissimã arborem paradisi, ex quo fœtus seu fructus nulli mortalium interdicendus, non agnouisti. Sed quis vel Cicero vel Demosthenes, sed missos istos faciamus, quis Esaias vel Hieremias, Christi humanitatem explicatius pronuntiasset hac muliere? Loquitur de rebus fœmineis, nempe de ven-

de vētre & vberibus, isthæc fœmina: & tamen res istæ tanti sunt momenti, vt viri ipsi eas & cantu & prædicatione sua in medio ecclesiæ laudent & celebrent. Non pudet ecclesiam de ventre & vberibus Mariæ gloriari, tametsi idcirco philosophi & mundi sapientes eam rideant. Ego etiam, misellus & pusillus ecclesiastes, in hoc templo vocem, qualem qualem mihi concesserunt boni Superi, intrepidè extollo, & mulieris huius exemplo proclamo: O Maria, perquam beatus tuus est venter, beataque vbera, quæ gestauerunt & enutrierunt Iesum nostrum saluatorem. Venter tuus, ô Maria, vera illa archa est externè, & internè operta auro purissimo, in qua manna nostrum cæleste à te studiosissimè asseruatum est. *Exod.25.* Vbera tua, ô Maria, sunt aurea illa mensa, à quibus alitus & pastus est, qui pascit omnem creaturā. *Exo.25. et Hebr.9.* O Maria, tam me stimulat, tam me concitat, tum tua castitas, tum tua fœcunditas, vt cogar in tuas laudes cum Sedulio desidem soluere linguam, & lenta aperire ora.

Salue sancta parens, enixa puerpera regem,
Qui cælum terramq; tenet per sæcula: cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro,
Imperium sine fine manet: quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequētem.

At ille dixit. Quinimo: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Insigne erat mulieris de virgine Maria & absolutum encomium, sed insignior & absolutior responsio Iesu saluatoris. Mater quidem mea fœlix est, fœlix venter

eius & beata vbera, quòd me in vtero gestauerit: verum beati quoque sunt qui audiunt patris mei verbum, atque attenta pronaque aure illud hauriunt, & ita haustum intus asseruant, ne effluat, custodiuntque illud diligentius quam aurum aut topasium. Mulier laudat corpus Mariæ: Christus pectus & animum Mariæ. Simillimam habes sententiam apud Ioannem in sua
Apoc. 1. Apocalypsi, Beatus qui legit & qui audit verba prophetiæ huius, & seruat ea quæ in ea scripta
Theoph. sunt. Theophylactus scribit hic custodire verbum, nihil esse aliud quàm facere verbum. Huic rectè concinit & Beda.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Dominum eijcientem dæmonem imitantur nostri exorcistæ, dum è corporibus humanis dæmonia profligant. Is ordo tertium locum habet in nu-
M. sent. 4. lib. mero septem ordinum, qui, vt ait Magister senten. in quarto dist. 24. à Salomone descendisse videtur. Potestatem eijciendi dæmones Dominus Aposto-
Marci 16. lis dedit, Marci 16. dum ait, In nomine meo dæmonia eijcient. Ita censet pater ille eruditissimus Do-
Dominicus à Soto in quartum senten. minicus à Soto, in commentarijs in quartum sent. dist. 6. quæst. 2. art. 2. Prudentius ille poëta christianissimus in libello cui titulum Apotheosim inscripsit, ita canit:

Prudētius in Apotheosi.

Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest: agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat antistes Domini, fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes:

Man-

Mancipium Christi, cur corruptissime vexas?
Desine, Christus adest humani corporis vltor:
Non licet vt spolium rapias, cui Christus inhæsit:
Pulsus abi ventose liquor, Christus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos suspirat Iuppiter ignes.

Animaduertendum verò, quod Prudentius hic sub nominibus Apollinis, Cyllenij & Iouis, intelligat dæmones. Quantæ autem virtutis sint exorcismi nostri, ostendit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 16. Persæpè, inquit, dæmoniacus, qui ferreis vinculis à multis retineri non potest, ab vno solis precationibus continetur per eam quæ in illo est spiritus sancti virtutem. Imò & simplex exorcisantis afflatus efficitur ignitus ijs qui videri non possunt. De exorcismis agunt Dionysius Areopagita ecclesiast. hierarch. cap. 1. Chrysost. homil. de Adam & Eua. August. de gratia & peccato originali ca. 10. Quod Salomon inuenerit exorcismos, scripto tradidit Iosephus li. 8. Antiquit. ca. 2. Verba eius asscribo. Præstitit Salomoni Deus, vt etiã contra dæmones artẽ ad vtilitatem hominum & eorũ curas edisceret: & incantationes instituit, quibus ægritudines solent mitigari: modos etiam coniurationum, quibus obstricti dæmones, ne denuo redeant, effugantur, inuenit. Claudam hæc sentent. Augustini: Vera, inquit, pietate homines Dei aëream potestatem, inimicam pietati exorcizando eijciunt, non placando.

Cyril. Catechesi. 16. *Dionysius* *Chrysost.* *August.* *Iosephus* *Aug. 10. li. de ciuit. cap. 22.*

Annotatio 2. ex Reuer. Iansenio.

Domus supra domum cadet. Græcè est οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει. Apud Marcum legimus: Si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare. Vbi etiam præpositio ἐπὶ, pro contra accipitur. Vnde sicut apud Marcum, sic hic apud Lucam, super, apud nos pro contra accipiendum est, vt illorum verborum domus supra domum cadet, sit ille sensus, qui ex *Marci 3.*

Marco colligitur apertè : domus si sit contra seipsam, cadet.

3.

Dęmonium istud dicitur mutum & surdum, non quòd tale sit, sed quòd homines mutos & surdos reddat. Sic & frigus dicitur pigrum, quia homines pigros facit.

4.

Ioannes maior asserit se legisse apud idoneos authores, quòd hæc mulier, quæ Mariam à ventre & vberibus commendauit, fuerit Marcella ancilla Marthæ. Sit fides penes auctorem.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ EVANGEL.

Ioan. 6. Mat. 14. Mar. 6. Luc. 9.

Abijt Iesus trans mare Galilaæ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super ijs qui infirmabantur. Ad prudentem & futuri prouidum patremfamilias pertinet, non filijs tãtum, verùm etiam & famulis prospicere, deque rebus necessarijs, quoad id fieri potest, abũdè administrare. Quod planè munus egregiè expleuit Christus filius Dei omniũ opifex & pater. An ille discipulorum solum curã habuit? imò, quæ eius est benignitas, & turbam quoque, vbi res ita postulabat, nonnunquam pauit. Scintillam mihi huius beneficientiæ habuisse videtur
Genes. 24. illa Rebecca, quæ dũ Elieser Patriarchæ Abrahæ œconomum hausta aqua nonnihil recreasset, quin, inquit, & camelis tuis hauriam. Diuinus ille psaltes Dauid, vbi ad diuinæ beneficẽ-
Psal. 144. tiæ sinum respexisset, exclamauit. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illo-

illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Sicut peritus medicus, inquit Prosper, nouit *Prosper.*
qua esca ægrotus, & quo tempore sit cibandus, ita & Dominus famulos suos oportunè reficit. Et mater nouit quo tempore filium aut nutrire aut alere debet. Quidni prospiciat suis eum sequentibus, cùm etiam pullis coruorum inuo- *Psal. 146.*
cantibus eum escam tribuat? Danielem pulte *Daniel 14.*
Iudaica, & Eliam, prophetas suos coruo mini- *3. Reg. 17.*
stro pauit. Si igitur ipsi cura est de nobis, vt protestatur D. Petrus, cur non omnem cogita- *1. Pet. 5.*
tum & sollicitudinem in illo collocamus? Erāt olim Cyrus apud Persas, & Romulus apud Romanos infantuli, qui ob ætatem ne cibum quidem nosse possent, filij idololatrarum, hoc est inimicorum vnius Dei: eos tamen, vel expositos vel abiectos, alterum cani, vt scribit Sy- *Sydonius*
donius, alterum lupæ admouit vberibus, ne in- *Apollinaris*
terirent. Pascit Deus hostium suorum filiolos, *in endecasyllabis*
& te sinet famæ interire filium ancillæ suæ, & *versibus.*
baptismi chrysmate, vt ait Prudentius, innota- *Prudentius*
tum. Pascit bufones nigros venenatosque ver- *in hymno ad vesperū*
mes, & te perire permittet? Sit istud in euangelium præfationis loco. Quæri hic potest cur abierit Iesus, seseque transmisso mari receperit in Galæilam. Ex Luca id disci potest, qui ait *Luc. 9.*
Herodem, iam capite truncato Baptista, fama volitante accepisse Iesum, mira facere & docere, vnde & cupido incessit videndi, & conueniendi illum: sed Iesus, ne vel auræ inanis gloriam venari videretur, vel se nulla necessitate vrgente in capitis discrimen pręcipitem daret,
secess-

ſeceſsit pauliſper. Non autem ſeceſsit mortis metu, vt arbitrantur quidam, ſed, vt ſentit D. Hieronymus, parcens inimicis ſuis, ne homicidium homicidio iungerẽt. Duxit diſcipulos ad locũ deſertum, vt paululũ quietis à grauibus laboribus ſecũ caperẽt. Non autem permiſit animum eos laxare voluptatibus, ſed huiuſmodi quietẽ delegit, quæ pura & ſyncera eſſet: nempe vt veluti extra mũdi ſtrepitum poſiti, ſecretioribus contemplationibus & precibus laſſos recrearent animos, atque inde ad euangelicos labores redirent vegetiores & alacriores. Hoc exemplo docet euangelicos doctores non continuè laborare, ſed ſuas ſubinde curas nonnihil miſcere gaudio, ac grauia condire iucundis. Poſſet huc referri figura non abſurda ex lib. 1. Machab. vbi Iudas Machabæus cum ſuis fratribus ſæuiente Antiocho atq; in ſe exprimente Antichriſtum, deſerta petit loca. Imò & mulier illa, quam lubenter eccleſiam agnoſcimus, à cõſpectu draconis in deſertum ſe recepit, vbi habebat locum paratum à Deo. Apoc. 12. Sic ſub Iuliano & Valente impijſsimis imperatoribus pij viri frequentibus exilijs multabantur: Videatur Nicephorus & hiſto. tripartita. Certè Hyppolytus martyr, ſer. de Antichriſto, ſcribit, quòd Chriſtiani, Antichriſto omnia infeſta reddẽte, in ſolitudines ſe recipere compellentur, adeò vt non ſit futurus qui audeat vel eccleſiam ingredi, vel publicè oblationem Deo offerre.

1. Mach. 3. *Apocal. 12.* *Niceph. li. 11. cap. 22 Hiſt. Tripart. lib. 7. cap. 33. Hippolytus martyr.*

Mare Galilaeæ. Eſt ſtagnum illud Genezareth quod & Tyberiadis appellatur, eò quòd ciui-

ciuitatem illam alluat: &, narrante Luca, fuit desertum illud iuxta Bethsaidam, & mons in quem se recepit Iesus, non ita longè erat à Capernaum, vt ex descriptione terræ sanctæ Brocardus ostendit. *Brocardus.*

Sequebatur eum multitudo magna. Vt magnes ferrum, ita Christus verborum & operum suorum vi incredibili populum ad se pellexit, totumque suum faciebat, adeò vt cùm prima eius discessus aura allapsa esset auribus eorum, mox sequi properauerint in desertum vsque. Tanto autem id præstabant animi ardore, vt ne commeatũ quidem secum assumere cogitauerint. Hoc nimirum est quod, teste Alberto magno, scribit Auicenna, quod homines oblectati rebus diuinis rationem temporis nõ animaduertant. *Albertus Magnus in Euangel. Auicenna.* Mirum verò plebis ingenium, quod nec Ioannis audita morte terrentur, quin promptis animis Christum sequantur, ait Chrys. clarissimo sui exemplo nos erudiẽtes, ne propter hominem deseramus Deum. *Chrys. homil. 50. in Matth.* Quis nos separabit, ait D. Paulus, à charitate Christi? *Rom 8.* Mat. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. *Matth. 10.* En quanto feruore properant, vt verbi diuini sagina & pabulo saturentur. O præposteros nostratium hominum mores, ô stuporem & non æstimandam oscitantiam, qui ad stomachum vsque oppleti inanium fabularum allio, & humanæ garrulitatis fermento saturi, verbi Dei veras delitias vel contemnimus, vel negligimus. Si, dum cytharædus, vel saltator, vel alius quispiam huiusmodi hominum nos vocet, studiosè omnes currimus, interim & gratiam, inquit Chrysostomus, *Chrysost. homil. de non cõtemnẽda Christi ecclesi. 1.*

ſtomus, quod nos vocârit ei habemus: Deo verò per Prophetas & Apoſtolos nobiſcum loquente, oſcitamus, torpemus, æſtuamus. Diſce, ô Criſtiane auditor, magno animi ardore ſacras adire conciones, neque metu aliquo feruorem tuum remorari. Nam vt palma perflantibus viget auris, atque intus contuſa incaleſcit, & aurum fornace luſtratum excoctumque fluit nitidius: Sic dum Chriſtus fugit, populus efficitur feruentior, adeò vt ſecum eos traheret in deſertum & luſtra ferarum. Adeò perſecutione auditorum creſcit auiditas erga Dei verbum. Sic olim quanto pluribus decretis Chriſtianiſmus prohibebatur, tanto liberiori animo ad ſacras conciones & ad martyria Chriſtiani conuolabāt. Id quod vel vnico mulieris Edeſſenæ exemplo & dicto probari licet, quæ cùm ſub Valēte Arriano, Chriſtianis eccleſiam prohiberi, imò ad ipſam confluentes occidi mandatum eſſe intellexiſſet, præcipiti gradu puellum ſuum ſecum rapiens ad dictum locum properabat. Propero, inquit, ſeriò, ne cæteris pro Chriſto occiſis, ego & puer iſte meus eius ſummi beneficij expertes ſimus. Nicephorus lib. 11. hiſtoriæ cap. 21. Chryſoſtomum auidiſsimè audiebant ciues Conſtantinopolitani: at vbi in exilium iuſſu Eudoxiæ portaretur, ac iam nauem conſcenderet, incredibilis ſe vrbe hominum turba effundebat, quæ aureo eius ore verbi diuini fauos cupidiſsimè haurire ſolebat. Memorabile eſt quod de populi Carthaginenſis erga templi cultum refert Victor Vticenſis, lib. 2. Hunerichus, inquit, ſtatuit in por-

Niceph. li. 11. cap. 21

tis ecclesiæ collocari tortores, qui videntes fœminam vel masculum in specie suæ gentis ambulantem, ilico palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibusque in eisdem collocatis, ac vehementius stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferrét. Nonnulli dum hæc fierent, oculos amiserunt statim. Alij ipso dolore statim sunt defuncti. Mulieres verò, post hanc pœnam, capitibus pelle nudatis, præcone præeunte, per plateas ad ostensionem totius ciuitatis ducebantur: quod sibi, quæ patiebantur, lucrum maximum computabant. Nec tamen hoc modo tyrannus vllum infringere potuit. Videtis, auditores optimi, incredibile erga ecclesiam id temporis studium, cuius iam vix vmbram aliquam habemus reliquam. *Victor Vticensis lib. 2 de persecutione Vandalica.*

Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis: &, cùm subleuasset oculos, & vidisset quòd multitudo maxima venit ad eum. Ingẽs erat hominum multitudo: partim allecta miraculorum cupiditate, partim vt ab eo sanarentur, qui morbis immedicabilibus, aut certè difficilibus tenebantur, partim illius inhiantes doctrinæ. Hac igitur conspecta multitudine, in montem cum discipulis sese subduxit: ipsa re docẽs eum, qui cum laude populi pastorem se profiteri vellet, quanquam vt suis prosit, nonnunquam infimis etiam se misceat, tamen oportere subinde mentem ad sublimiora quædam erigere, præsertim quoties studio aut precatione prouocãdus est animus ad rerum cælestium cõtemplationem. Turba autem manet in humili loco, solum discipuli comitantur Iesum. Non enim rationi

rationi est consentaneum, vt Episcopi ad vilia & infima, quæ rudis plebecula, & miratur & vnicè colit, sese demittant. Consedit itaque in monte Iesus, ita tamen vt vulgus essent in prospectu. Non enim ita oportet episcopum contemplatione sublimium oblectare animum, vt multitudinis cura nobis excidat. Quare dicit (ait Theophilactus) cùm subleuasset oculos? vt discamus, quòd non solitus sit hinc & inde vagari oculis, sed compositus & attentus sedere. Sed quibus aspicit oculis? vtique oculis miseri-
Thren. 5. cordiæ. Thren. 5. Respice Domine afflictionē
Marc. 6. nostram. Hinc Marcus ait, quod Iesus misertus est super eos.

Dicit ad Philippũ, vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, Ipse enim sciebat quid esset facturus. Erudiuntur hoc exemplo præfecti aliquoties & subditos suos audire, tametsi cum Philippo sint rudes & rerum inexperti. Nam

Quandoque est olitor verba opportuna locutus.

Exod. 18. Sic Moses non spreuit consilium Ietro sacerdotis Madian. Nec Naaman Syrus verba puellæ captiuæ tradenda ventis putauit: Imò nec consilium famulorum suorum, qui suadebant
4. Reg. 5. vt Elysæi monitis obtemperaret, abijciendum arbitratus est. Sic & Cyrus potentissimus ille Persarum monarcha, obuiũ sibi factum seruum nuper è vinculis ereptum, consilij sui fecit participem, eiusque de bello in Astiagem gerundo
Iustinus lib. 1. sententiam exquisiuit, Iustinus lib. 1.

Hoc autem dicebat tentans eum. Sic tentauit
Genes. 22. Abrahamum, dum diceret. Tolle filium tuum vnige-

vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium. Mira hæc tentatio, & nisi fortissimis humeris, non ferenda. Quod enim ferreũ pectus, nedum paternum, non emollirent verba illa, Vade, offer filium tuum in holocaustum! Id est, trucida illum, & iugula, gladio gutturi aut pectori adacto. Nec satis hoc, sed iugulatum insuper admotis flammis in cineres redigas, id enim est offerre in holocaustum. Hæc est tentatio, & quidem vehementissima. Nunc quî se Abraham tentatus gesserit, audiamus: Surrexit Abrahã nocte, perrexitque cum filio ad locum, de quo mandauerat Deus. Cumq; post iter trium dierum venisset ad locum, extruxit altare in monte, & imposuit filium suum, arripuitque gladium, vt immolaret eum. Singulæ ferè dictiones suam habent emphasim. Ecce enim, vt confestim diuinæ iussioni obsequeretur, etiam intempesta nocte iter arripit.

Dextræ se paruus Iulus *2. Aeneid.*

Implicuit, sequiturq; patrem non passibus æquis.

Neque mox immolatum est tam charum patri caput, sed per tridui spatium exerceri & lancinari oportuit paternũ illud pectus. Sed quibus manibus obsecro exstruere poterat prodigiosum illud altare, quod filij charissimi cruore, nõ alienus quispiã, sed ipse pater imbueret? Quantam putas luctam in animo passus est tristis pater? quantę quamq; vehementes cogitationum procellæ eum quatiebant? Mihíne tam rigida, tam scelerata dextera est, quæ posset vnigeniti

precordia aperire, & sanguinē calēte in vulnere ferro effundere? An vnquā vel tigris, vel lupa, vel leæna in propriū sæuijt fœtū? Et ego efferatissimis feris esse possim immanior & crudelior? Sed quid faciam tamen? Iubet Deus, iubet summa potestas, summa sapientia, cui vel cogitatu solo refragari, summa est insipientia. Iubet ille, cui & filius iste meus, & ego pater, si cōferamur, ferè nihil sumus. Quis enim me senem & decrepitū, quis me fecit tā pulchra prole parentem? Nōne ipse dedit, cū apud nos & generādi & concipiēdi officia essent desperata? Reddam igitur offerendo illi quod dedit. Hæc stat, hæc animo placet sentētia. Extulit igitur cū gladio dexterā qua se orbū faceret. Et ecce angelus de cælo clamauit: Non extendas manum in puerum. Verùm longius sum euectus quam putâram. Tentare ergo Dei nihil est aliud, quàm arduum quid & difficilè proponere, eius videlicet rei gratia, vt probetur homo an verè timeat, aut colat Deum, an verè amet, an verè obediat.

Tobiæ 2. Sic, cæcitate per hirundines Tobiæ iniecta, explorat fidem & patientiam Tobiæ, num in aduersis, vt in secundis rebus Deum coleret. Sic & in præsenti euangelio examinat animum Philippi, an verè crederet Christum præceptorem suum paucis panibus aliquot posse satiare milia, tantamque multitudinē sustentare cibo. Verùm quæret hic studiosus auditor. Quid opus fuit redemptorem nostrum de Philippi fide periculum facere, cùm illum probè intus & in pectore nouerit? Certè experimentum de nobis facit Deus, nō quo ipse nostras discat vires,

Venerabilis pater Adamus Sasbout.

sed

ſed vt nobis hæc cognita fiant. Qui enim non eſt tentatus, ait Sapiens, quid ſcit? *Eccleſi. 34.*

Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, vt vnuſquiſq; modicum quid accipiat. Acſi dicat, quid opus Domine de emendis panibus incipere ſermonem? Tanta eſt hominum multitudo, vt etiam ſi quis in numerato, atque in promptu habeat denarios ducentos, vix ſufficerent, non dico ad ſaturandos iſtos, qui iam longa inedia ſunt famelici, ſed vt vel paululum ſinguli guſtātes famē, tam acrem & grauem, vel minima in parte ſiſtāt. Sed operæ fuerit prætium calculum ſubducere, vel inire rationem, quanti valeant ducenti denarij. Itaque ſecundum Budæi ſupputationem efficiunt florenos aureos 25. aut, quod idem eſt Rhenenſes 35. Hi ſi diuidantur in eos nummos quos Brabanti nouenarios, Flandri ſenarios appellant, reſultabit numerus 5600. Itaq; cùm numerus manducantium virorum fuerit, 5000. exceptis mulieribus & paruulis, vt teſtatur Matthæus, (nam mos erat Hebræorum non numerare niſi viros) & veriſimile ſit non fuiſſe minorem numerum muliercularum cum paruulis, vt non dicam eum fuiſſe maiorem: facilè patet, ſingulis non tantum panis ex ducentis denarijs potuiſſe contingere, quantum apud nos in commoda annona emi poſſet nouenario, ſiue Flandrico ſenario: & tam debuiſſent etiam mulieres cum paruulis ſuis abſtinere & ieiunare, quod ſanè fuiſſet durum & miſerabile. Rudis admodum erat Philippus, ſi quis inter Apoſtolos alius, quapropter & omnia metiebatur *Budæus li. de aſſe.*

baturpræſentia ſecundum meras rationes humanas, nihil vel certè quàm minimum tribuēs opificis omnipotentiæ. Nam miſer, in tanta famis acerbitate, nuſquam reſpexit niſi ad denariorum auxilium. Vt benè notat Cyrillus Alexandrinus in euangel. D. Ioannis. Huius generis ſunt omnes, qui res humanas tanti ferè faciunt quanti diuinas. D. Petrus, dum Ieſu virtutem attendit, deſilijt è naui in ſubiectum pelagus, ac ſuper tumidas vndarum procellas inoffenſo currit gradu. Verùm, vbi paulùlum deflexit oculos, brutique elementi vortices crebroſque fluctuum reciprocorum motus conſiderauit, cepit terreri, cepit trepidare, denique cepit mergi. Vbi igitur Philippus hæc dixiſſet, Andreas frater Simonis Petri, vt vocatione prior, ita fide prouectior, ſed in quo plurimum adhuc deſideres, ait ad Ieſum.

Cyrillus li. 3. in Ioan. cap. 14.

Matth. 14.

Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces. Sed hæc quid ſunt inter tantos? Viderat àquam in vinum conuerſam, & viſis panibus & piſcibus nonnihil ſperat. Verum, cùm oculos vertit ad multitudinē, ſpes illi animuſque veluti in genua cadunt, erumpitque in illam certæ diffidentiæ vocem: *Quid hæc ſunt inter tantos?* Non diffidebat quidem Chriſtum poſſe & piſciculos & panes quoque augere, ſed ad moderatam aliquam portionem, & nō amplius. Legerat opinor Elyſæum 100. viros viginti pauiſſe panibus, ſed quid centum viri ad 5000. Quid quinque panes cum viginti? Porrò ne tantopere hanc diffidentiam in Apoſtolis mireris, ſimilē ferè in Moyſe reperies, quod & Cyril-

Cyrillus Alexandrinus in Ioannem obseruat. *Cyrillus in Ioan.*
Flente enim ac eiulante populo, quòd carnium desiderio tangerentur, & iam non solum satietas, verùm & nausea cælestis manna eos caperet, pollicetur Dominus se præbiturum carnes. *Numer. 11*
Quod cũ Moysi mirũ admodum videretur, accessit Dominũ, clamãs: Domine, inquit, sexcẽta hominum hic sunt milia, & tu promittis illis te daturum carnes? Quid ergo hic Deus? An, ait, manus Domini non sufficiet? Hæc eadem ad Philippum & Andream dicere possumus, ac talibus eos compellare verbis. Quid ambigitis, quid hæsitatis? Quid tu Philippe denarios cogitas, quid tu Andrea de panibus quinq; loqueris? Nónne manus Domini sufficiet? Quis auxit costam Adami in mulierẽ? Quis hydriam olei, & farinę pugillum multiplicauit? Vbi ergo Iesus iám satis superque expertus est discipulorum rudes animos, volẽs eos erigere in magni alicuius miraculi expectationem, ait: *Genes 2.* *3. Reg. 17.*

Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco, Discubuerunt viri numero quinque milia. Non dubium quin statim discubuerint. Videtis ne quãta reuerẽtia obediũt Christo suo concionatori? Nemo rogat ad quid discumbemus, cùm nihil sit quod edatur? Vna cura erat omnibus Christo obedire. Non respiciunt quinque panes hordeaceos, non pisciculos duos, nõ ingentem multitudinem, sed præceptum Domini de discumbendo præ oculis habent. Sic, auditores optimi, etiam in rebus penè deploratis erecta & constãti spe esse semper oportet. Nemo sibi ob oculos ponat pro-

liumſuarum multitudinē, & è regione promptuarum vacuum. Nemo dicat nulla mihi ſiligo, hordeum nullum, triticum quoq; nullum, neque in herba eſt, neque in horreo: quid igitur mihi ſupereſſe poteſt vel bonæ ſpei vel fiduciæ? Profectò iam rurſus repetam, quod dixi ſuprà, ſolùm noſtras aut vires aut rerum copiam reſpicimus, de Domini miſericordia, potētia, & benignitate nihil cogitamus, nihil nobis promittimus. Diſcumbamus ſolum, & cætera patri noſtro cæleſti ſint curæ, exemplo D. Dominici, qui cū fratres ſuos, ſeu potius dilectiſsimos filios, ſub horam prandij videret ſolito triſtiores, ſuauiloquentia quadam, qua mirum in modum pollebat: quid hoc, inquit, filij, quid hoc nouæ rei eſt, quòd occurſum mihi adfertis conſueto meſtiorem? An deeſt quod edatur? Diſcumbite ſolùm, cætera Domino erunt curæ. Mira res, diſcubuerunt, & ecce confeſtim adoleſcentes duo ingreſsi cœnaculum, angelos ego fuiſſe arbitror, abundè fratribus adminiſtrauerunt. Si hæc narrētur paganis Chriſtum ignorantibus, vix fidem merebuntur. Sed vt apud Dominum nihil eſt impoſsibile, ita apud ſyncerè Chriſtianos nihil incredibile, qui & ſupra ſpem in ſpem credunt. Quid increduli hic diceret? Nunquit poterit Deus parare menſam in deſerto? Sic olim locuti ſunt Iſraëlitę. Et ecce tum hic, tùm ibi ipſo facto oſtendit ſe omnino poſſe. Meritò igitur oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Qui enim modo ijs quinque panibus vtitur ad 5000. hominum alen-

Ex hiſtor. D. patris Dominici.

Rom. 4.

Exod. 17.

Pſal. 77.

Pſal. 144.

da milia, is idem per totum orbem & pascit & grana multiplicat: Vnde omnino nobis persuasissimũ esse cupit, omnem se nostrã inopiam sua cura præuenire, ac nobis etiam dormientibus patremfamilias agere, modò vocationi nostræ, ei obediendo respondeamus. Id quod omninò probè facimus, si iussi, non aliter quàm populus iste in deserto, & spirituales Beati Dominici filij, discumbamus, securi de patris beneuolentia, storgia, & omnipotentia: tametsi nostri oculi nihil cernant aliud quãm arbores, montes, rupes, sterilesque miricas, quæ omnia syluarum solent esse diuitiæ. Huc facit illud Esaiæ: Audite me domus Iacob, qui gestamini à meo vtero vsque ad senectam, ego ipse portabo, ego feci, & faciam. Ac si dicat. Quicquid habetis, ex me habetis, gestaui ab vtero, non derelinquam vsque ad senium. Mulier solũ fert in vtero filiolum vsque ad nonũ mensem, ego per omnem ætatem. Duas autem infirmiores ætates nominat, in quibus maiori cura indigemus. Sic Psaltes: Spes mea à iuuentute mea, in te cõfirmatus sum ex vtero. Agit Deus officiũ matris, obit munus nutricis, fungitur diligentia pædagogi, imò & propugnatoris. Portat nos ab vtero, dum misericordia nos præuenit, portat vsque ad senium, dum eadem misericordia sua nos prosequitur. Gallinæ & aues relinquunt tãdem amatos fœtus & pullos, sed Deus nunquam deserit, quos semel in suam curam recepit. *Esa.46.*

Accepit ergo Iesus panem, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus, & ex piscibus quantum

tum volebant. O miraculum ſupra omnem naturæ captum, vnicuique millenario vnus addicebatur panis,& omnes ad ſatietatem vſq; paſcuntur. Imò & ex piſcibus quantum volebant: tanti momenti eſt Ieſu benedictio, quæ & panes & piſces multiplicauit. Auguſtinus: Ille in manibus inter digitos multiplicauit panes,qui de paucis granis ſatiat mundum, multiplicans nimirum ſegetes. Sic videtur Adami coſta creuiſſe inter omnipotentis opificis digitos,& pugillus farinæ,oleumque inter vtentium manus, Elizæi videlicet & viduę. Potuerunt enim panes in manibus Chriſti & diſcipulorum, per materiæ additionem,vel per præſuppoſitę materiæ extenſionem,augeri. Poteſtas enim erat in Chriſti manibus,panes autē illi quaſi ſemina erant,non quidem terrę mandata,ſed ab eo qui terram fecit multiplicata. Dicitur tamen rectè quinque panibus ſaturaſſe tot milia, vel ex coſta mulierem formaſſe,quia additio facta eſt ad materiam præexiſtentem panum vel coſtę,vel ipſa materia eſt in ſe extenſa. Diſtribuit ergo Chriſtus, ſed per manus Apoſtolicas, quod apertè habet Marcus cap. 6. Imò ipſe textus Græcus apud Ioannem, vbi ſic legitur: *διέδοκεν τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις*. Id eſt,dedit diſcipulis,diſcipuli verò diſcumbentibus. Id quod ſanè factum eſt magno myſterio. Nam vt Dominus hic panem benedictū prius accepit,deinde porrexit diſcipulis, illi verò appoſuerunt turbæ: Sic in pane ſuperbenedicto, ipſe primus ſacrificauit, deditque diſcipulis diſtribuere populo. Fecit ergo hoc Chriſtus, vt oſten-

Auguſt. in Ioannem.

Geneſ. 2.

3. Reg. 17.

oſtenderet quod ſit Apoſtolorum populi ſalutem curare, & præcipuè ſacramentum corporis ſui fidelibus adminiſtrare.

Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis. Colligite fragmenta ne pereant. Non abutendum ijs quæ pauperibus poſſent prodeſſe. Quantum perit ſępè in magnis, & ſplẽdidis palatijs? quantum voratur à canibus, quantum calcatur pedibus? Quiſquis ergo pauperũ es ſtudioſus, mone famulitia tua vt colligant reliquias, ſeu lipſana eduliorum. Nihil verò perdunt qui in pauperes ſua diſpergunt, vt docet D. Cyprianus libello de eleemoſyna. Et Tertullianus, lib. de corona militis, hunc eccleſiæ morem fuiſſe indicat; vt colligerentur menſarum reliquię. Panis noſtri, ait, decuti aliquid in terram anxiè patimur. *Cyprianus lib. de eleemoſyna. Tertullianus lib. de corona militis.*

Collegerunt ergo, & impleuerũt 12. cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt ijs qui manducauerant. Quàm benè ſcriptum eſt Prouer. 19. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis. Das aurum, recipis cælum. Das tranſitoria, recipis æterna. Dat vidua farinulam, & recipit in multos dies per Eliam alimoniam. Quid? An non hæc pelliciant vel auariſsimos quoſque, atque ad rem attentiſsimos diuites, ad largiter ex diuite penu erogandum? Modò das quinque panes, olim verò pro his recipies vel duodecim cophinos, vndique plena copia exuberantes. Mira res, inquit Ambroſius, eleemoſyna plantatur in terra, & germinat in cælo: Hic ſeritur, ibi metitur: hic ſpargitur, ibi colligitur. Vnde præclarè ſcripſit Chryſoſtomus: Eleemoſynæ, *Prouer. 19* *3. Reg. 17.* *Chryſ ſt. hom quadã in epiſt. ad Hebr.*

V 5 inquit,

inquit, portæ cæli aperiuntur,&c, veluti regina intrante, nemo obloquitur, nemo audet dicere: Quæ tu es? vnde? sed omnes eam suspiciũt. Sed parum, inquies, habeo. Nunquid minus quàm quinque panes? Nunquid minus quàm mulier Sareptana, quæ de pugillo farinulæ tribuit esurienti prophetæ? Basilius in ser. de fame Cæsariensi, vult nos tribuere esurienti, etiam si vnicum duntaxat haberemus panem. Quid ergo dicendum de ijs, quorum arca plena est auro, habentque vestes varias, hortos, multaque terrarum iugera, horreaque plena siliginis, hordei, & tritici, nihil interim egenis tribuentes?

Basilius de fame Cæsariensi.

Illi ergo homines, cùm vidissent signum quod fecerat Iesus, dicebant: Quia hic est verè propheta, Qui venturus est in mundum. Insigne erat miraculum, ac planè tale quod nec liuor, nec Momus iure posset suggillare, aut reprehendere. Cernebant enim apertè ex quinque pusillis panibus, duodecim impletos cophinos, adeò vt materiam priorem longè superarent ipsæ reliquiæ. O rem mirandam, & stupendam, vix poterant oculis suis credere, tentabant fortè & dentibus ipsas reliquias, an panis esset, manibus quoque tentabãt cophinos, an suum iuxta plenitudinem haberent pondus, & ita facto concursu, ad conspiciendos & Apostolos, & ipsos cophinos ferebantur, vt credidisses cum cophinis ipsos Apostolos voluisse intra sua viscera rapere. Erumpũt itaque in amplissimas laudes. Nam aiunt Iesum, tanti miraculi authorem, eũ esse prophetam, de quo ante aliquot secula clarè prædixerat Moyses: Prophetam suscitabit vobis

Deut. 18.

vobis Deus tanquam me,ipſum audietis. Articulus Græcus indicat illum eſſe ſingularem prophetam à Iudæis expectatum.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRAECEDENS EVANGELIVM.

I.

Cum ſubleuaſſet oculos. Notat hic F. Adamus Sasbout, quod ante eum Theophylactus, Chriſtum oculis demiſsis,ac humi defixis ſolere vel incedere,vel ſedere. Multa, magnaq; adfert incōmoda oculorum vagus conіectus. Quid Euam ſeduxit, niſi oculi? Vidit,ait ſcriptura,mulier, quod bonū eſſet lignū. *Geneſ. 2.* pulchrum oculis, viſuq; delectabile. Nec Euæ ſolùm id vitij erat,verùm & filij Dei, propter vanos *Geneſ. 6.* oculorum contuitus,eo protracti ſunt,vt cum hominum filiabus, hoc eſt, cum puellis planè carnalibus,inauſpicata inirent coniugia.Vnde tanta ſcelerum erupit ſeges, vt Deus ferè compulſus fuerit, mundum diluuio perdere.Quanti verò conſtiterit ſanctiſsimo prophetæ Dauidi nudam conſpexiſſe *2.Reg. 11.* Bethſabeam,ſecundus Reg.liber ſignificat. Ethnicus ſuis oculis imputat quod perierit,dicens:

Vt vidi,vt perij,vt me malus abſtulit error.

Reſpexit & vxor Loth,& verſa eſt in ſtatuam ſalinariam. Vnde Saluator in Euangelio, Memores *Gene. 19.* eſtote vxoris Loth,hoc eſt,terreat vos eius exemplum & caſus. *Luca 17.*

2.

Erat fœnum multum in loco. Fœnum hic pro gramine ponitur,id quod & frequētius eſt in ſcriptura. Nec potuit eſſe gramen iam demeſſum, & ſolis ardore exaridum, quoniam cùm nondum eſſet æſtas, ſed ver ſolum,gramen iam lætum virebat,vernabantq; & florebant paſsim omnia. Nam & circa feſtum paſchæ erat,vt oſtendit textus Ioannis.

3.

Quæri poſſet, cur hoc miraculū de panibus prophanis,

phanis, Domini Iesu benedictione vel multiplicatis vel auctis, Dominus hic ante panem eucharistiæ, & tractatum sacramenti corporis sui proponat? Profectò consultissimè hoc factum est. Volebat enim apertissimo miraculo, & figura clarissima, sacramẽtum Eucharistiæ confirmare, ne quispiam esset qui in altissimo mysterio, proprij ingenij acumini nimium tribuẽs, vsurpet illud Græcũ πῶς, id est, quomodo, vt notat Iustinus martyr li. de Trinit. Huius enim miraculi occasione de corpore suo, quẽ etiam panem appellat, disserit, vt nimirum minori miraculo, ad multo maius ac præstantius, paulatim assuescat suos. Et certè cõmodissimus est hic typus. Quemadmodum enim Christus panes potenti benedictione multiplicauit, ita & per benedictionem additio præcipuè operatoria sententia, *Hoc est corpus meum*, sacramentum Eucharistię conficitur. Et sicut ex paucis pusillæ quantitatis panibus tot milia hominum satiata sunt, ita etiam Christi corpus in diuersissimis locis à tot mortalium chiliadibus quotidie sumitur.

Iustinus martyr.

4.

Iunilius. *Hoc autem dicebat tentans eum.* Iunilius Aphricanus lib. 1. contrariorum quæst. 37. rogat quare Deus dicatur tentare, cùm Iacobus dicat ca. 1. Deus neminem tẽtat. Sed duæ, inquit, sunt in sacris literis tentationes, altera quæ decipit, altera quæ probat.

5.

Quærit M. N. Paulus à Palatio Lusitanus, cur Dominus Apostolos suosq́ue asseclas panibus alit hordeaceis in deserto, Iudæos verò semper murmurantes in deserto & æterno obluctantes Numini, pane pascit angelorum? An his quàm illis magis fauet? Cur rerum obsecro versa fors est? qui erant vt iumenta in terram, & vẽtrem prona & proiecta, pascuntur vt angeli: & qui vixerunt vt angeli, cum angelorum Domino sustentãtur hordeo. Sed facilè dissoluitur nodus iste, si cogitetur quod praui & scele-

ſcelerati hic habeant paradiſum ſuum, boni autem habent crucem & tribulationem. Manet hic quotquot piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, crux ſua, *Ad Tit. 2.*
ſed ſub qua latet recõdita incredibilis quędã dulcedo propter ſpem futurorũ. Nouit enim Dominus aquas Marath iniectione ligni reddere dulciores. *Exod. 15.*

DOMINICA QVINTA QVADRAGESIMÆ EVANGEL.

Ioannis 8.

QVIS *ex vobis arguet me de peccato?* Omnes vos ad vnũ Iudæi appello, quis omnium eſt veſtrum, qui mihi vel vnicum aliquod peccatum poteſt impingere? Quales vos ſitis, neque in obſcuro nobis eſt, neque vos ipſi probè vobis conſcij, credo, ignoratis. Scio quàm ſitis lyncei in alienis ô Phariſæi, deprehendẽdis vitijs, ad veſtra crimina pluſquam lippi: ſed dicite obſecro, tot iam vobiſcũ verſatus ſum annis, quid eſt quod in me reprehendatis? Magna profectò conſcientiæ ſecuritas, quòd iuratiſsimos ſui nominis hoſtes ſibi etiam adſciſcit iudices. Hoc ante aliquot ſecula in eadem gente & Samuel fecit. Qui cùm cerneret populum *1. Reg. 12.*
nouaturire, & ſibi abrogare imperium, poſtulato rege, ita eum alloquitur: Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquã tulerim, aut aſinũ, ſi quẽquam calumniatus ſim, ſi oppreſsi aliquem, ſi è manu cuiuſquam munus accepi, &c. Non ſatis eſt è ſublimi ad ſubſellia ſedentem docere plebem, iuſtitiamque & miſericordiam Dei proponere. Non ſatis eſt, inquam, aut euangelium interpretari, aut epiſtolam illuſtrare commentario,

oportet etiam cōcionatorem, qui domino ſuo lucrum ac rem facere velit, integris eſſe moribus, atque inculpatæ vitæ. Id quod de Chriſto

Lucæ 24. aiunt diſcipuli, dum aſſerunt virum fuiſſe potentem operis & ſermonis. Finge mihi eccleſiaſten aliquem variarum literarum, & præcipuè ſacrarum ſcientia ornatiſsimum, finge & eloquētia præditū Chryſoſtomiana aut Chryſoſtomo proxima, ſi deſtituatur vitæ integritate, non plus virium habebit eius ad plebem oratio quàm fulmen è criſtallo, aut vitro promicans. Vita inculpata & integra, medulla eſt ſacrarum concionum. In primis oportet concionatorem conſiderare ſeculi ſui mores, quibus ſtudijs homines teneantur, quid ament, quid metuant, quid vitent, quid ſectentur, quo accuratè animaduerſo, magno ſpiritus ardore, magnaque ac vehementi conſtantia damnare & ſuggillari mores pręſentes, etiam ſi extrema minitentur homines. Quo verò pacto, imò potius qua fronte huiuſmodi vel carpat è ſuggeſto vel execretur, qui vel eiſdem madet vitijs vel etiam deterioribus? Qua verborum acrimonia perſtringet menſarum luxum, qui lautitiarum ac compotationum menſæque alienæ quotidianus eſt aſſecla? Qua facie fornicationes & verborum laſciuiam damnabo ipſe adulter & alieni lecti concuſſor? Nónne præſentes di-

Ioan. 7. cent auditores, Medice cura teipſum? Quanta audiuimus te dicētem? videamus te facientem, & te ſerio loqui & docere arbitrabimur. Imò adhibebimus dictis tuis fidem. Sed tu lyra vel cythara es. Vis nos apertis te audire auribus, &

ad tuos

ad tuos ipse sonos, vt ait Diogenes, plusquam surdus es. *Maximus serm. 70.*

Quis ex vobis arguit. Id est conuincit. Non enim hîc arguere sumitur pro accusare, sed pro conuincere. Græcè enim est ἐλέγχει, quod est refellere & argumentis conuincere. Alioqui Iudæi sæpenumero accusabãt & in operibus, cùm dicerent eum in Beelzebub eijcere dæmonia, *Luc. 11.* aut soluere sabbatum, & in eius doctrina, cùm dicerent: Tu de teipso testimonium reddis, testimonium tuum non est verum. *Ioannis 9.* Nunquam verò potuerunt eum certis conuincere argumentis. Talis autem decebat, vt esset nobis pontifex: innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, Hebræ. 7. *Hebra. 7.* Sed vnde quæso peccatum haberet? A matre? sed hæc purissima fuit virgo. A patre? sed ille Deus fuit, in cuius naturam non cadit peccatum. Significabatur autem Christus per vaccam rufam quæ omninò sine macula fuisse describitur. *Num et cap. 19.*

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Acsi dicat: Si pseudopropheta essem, iure me exploderetis, sed cùm vobis nihil adnuntiem præter meram veritatem, mirum valde quòd meam doctrinam nolitis admittere. Scio quòd doctrinæ quoque authoritatem eleuare soleat, ac in contemptum adducere vita scelerata, sed ego planè integer vitæ, scelerisque sum purus. Ego enim summus ille sacerdos, qui, neque super patre, neque super matre, polluor. *Leuit. 21.* Hoc est, ita ab omni vitio alienus, ita intaminatus, vt ne originali quidem sorde, aut labe, qua tamen commaculatur tota humani generis massa, fuerim *Ex Eusebio Emis.*

rim vnquam vel leuiter attactus. Quapropter, ô Iudæi, in summam quis adduci posset admirationem, cur sermones meos audire nolitis. Quid enim, vel honestius, vel pulchrius, addam & hoc, quid conducibilius humano generi esse potest, ipsa veritate? Quæ, si quibusdam non sapit, illorum planè fit vitio, qui alijs Ægyptiacis saturi veritatis gustum habere non queunt, neque ad illud syncerissimū manna aspirare. Profectò candidissimi auditores nihil esse in causa existimo, cur tantoperè à veritate abhorreant quidam, nisi quod mendacijs & imposturis iam à teneris vnguiculis assueuerunt. Quorum cum maxima turba sit, nihil mirum si ferè vbique

Esa. 59. exulet. Id quod non videtur ignorasse Esaias, dum grauiter quæritur, quòd corruerit in plateis veritas, & quòd iustitia non valeat ingredi.

Hesiodus. Hesiodus poeta, cū videret, doli, fraudis, mendaciorumque omnia esse plena, atque amorem habendi ferè vbique regnare, tristis cecinit, veritatem hinc exclusam sese in cælum recepisse.

Marci 6. Adnunciant Hieremias & Ioannes veritatem,

Iudith 6. imò & apud Holophernem Achior, & in carcerem conijciūtur. Ita enim, vt scitè & eleganter dixit quidam, dentes nostros obstupefacit iniquitas, vt necessariò nobis amarescat veri-

Synesius epist. 105. tas. Quod si quem mihi dederis, qui cum Synesio Ptolomaidis episcopo, veritatem non amet solùm, sed etiam ardeat, cui animus cum lingua non dissideat, quique vti sentit, ita quoque loquatur, hic proculdubio placiturus est Deo.

Raphaël Volaterr. lib. 28. Quid enim similius homines Deo facere possunt, ait Pythagoras, quam vera loqui? Prçclarè D. Augu-

D. Augustinus: Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum. Pro ista enim nostri martyres fortius aduersus Sodomam, quàm pro illa illi Heroës aduersus Troiam dimicauerunt. Sed scito, Christiane auditor, Augustinũ de veritate fidei agere. *Aug. epi 9. ad Hiero.* Pulchrè igitur monet Salomon: Misericordia & veritas non te deserant, circunda eas *Prouerb. 3.* gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Sed quid obsecro verba Dei sunt nisi verba veritatis? At miseri mortales, dum se à nescio quo malo Genio è veritatis gremio ad variorum errorum scolas abripi sinunt, à Deo quoque separantur. Atqui talium hominum ingens vbique in Christiani orbis hoc angulo numerus est, qui veritate fidei neglecta, sectis se addicunt, eisque se totos affigunt, atque ita inhærent, vt lampetra mordicus apprehenso saxo. Quod ego factum esse reor, quòd nostratium hominum pars multo maxima, studium omne posuit in coaceruandis sibi magistris, pruriens, vt ait Paulus, auribus. *2. Timo. 4.* Quod si principes atque magistratus, qui rerum gubernaculis sunt admoti, huiusmodi magistros & pseudocheos à sua arcerent Repub. melius aliquanto cum fidelium rebus ageretur. Quis nõ summa laude euehat D. Ioãnis Chrysostomi fortitudinem, & constãtiam, qui apud *Hist. Tripart li. 10 cap. 6.* imperatorem Arcadium, Gainam templum in ciuitate Constantinopolitana sibi (nam Arrianus erat) dari postulantem reppulit? Cesserat iam ferè improbitati hominis, quoniã & factio-

ſus & potens fuit tyrannus iſte, ignauus Arcadius, quod epiſcopus Ioannes ſentiens, noli, inquit, ô imperator ei eccleſiam promittere, neque enim ſanctum canibus dare poſſumus. Neque hũc barbarum metuas. Noli ſanctum templum blaſphemantibus tradere. Gainas autem vocatus, inſtabat magis, Chryſoſtomus negabat, dicens: Non licet imperatori pietatem colenti aliquid cõtra mãdata diuina tentare. Cùm verò Gainas reſponderet, quòd oratoriũ habere deberet, Ioannes ait, vbiq; tibi domus diuina aperta eſt, & nullus te vetat orare. Tandẽ ceſſit Gainas, etſi ægrè. Neq; hæretici tẽplum nãciſci potuerũt, vbi ſordes ſuas proponere, et venenata dogmata ſpargere poſſent. Simili fortitudine apud Imperatorẽ Theodoſiũ cõtra Arrianos vſus eſt Amphilochius Iconij epiſcopus, dũ eos vrbe eijci rogat, ne ſuã ſcabiẽ ſanis ouibus affricẽt, Nicephorũ de hac re legas lib. 12.

Matth. 7.

Vtinã hæc nouatores noſtri ſecum expenderent.

Niceph. li. 12. cap. 9.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. D. Gregorius Papa obſeruat Homil. 18. iuxta hanc Chriſti regulam, probare vnumquemque ſe poſſe, ſi ex Deo ſit. Nimirum, ſi ſe interrogauerit, an verba Dei in aure cordis percipiat. Quiſquis enim ex Deo prognatus eſt, is vt genuinus Dei filius verba Dei lubenter audit, hoc eſt, veritatem amplectitur. Quare, quòd Comicus ait, Veritas odium parit, verum non eſt, niſi in filijs diaboli, qui illius ingenium, & indolẽ ſpirant. Nemo verò ſe decipiat, nemo ſibi imponat, nemo exiſtimet hoc eſſe audire verbum Dei, quod concioni intereſſe, & quæ dicuntur, aure corporis haurire. Nam & Phariſæi concioni intererant,

non

non tamen secũdum Christi testimonium, Dei verba audierunt. Dicunt ergo quidam: Diebus Dominicis aut solennibus, quibus fit cõcio, audio verbũ Dei, ergo sum prognatus ex Deo. Ad eundẽ enim modũ impurissimus aliquis leno aut scortũ, quos certũ est ad corpus diaboli pertinere, colliget se genus esse Dei, imò maga aliqua, seu venefica, cùm id hominũ genus verbũ Dei subinde audiat. Quęret igitur aliquis. Quisnam dicetur audire verbũ Dei? Paucis dicam. Illi, qui veritati perceptę fauent, obtemperant, ac morem gerunt, hoc est, qui id quod in concionibus audiunt, tota animi adhæsione complectuntur, siue hoc eis molestum, siue non: si durum, siue non, illis fuerit. Est adolescẽs quispiam tribus, aut quatuor sacerdotijs benè opimis honoratus, vel potius oneratus: Is fortè fortuna à concionatore cordato & liberato audit hanc pluralitatem suggillari. Vbi cõcionem audiuit, domum reuersus, arripit calamum, scribit literas, liberari, & exonerari cupit, nec cessat donec res perficiatur. Eñ verum & germanum auditorem, imò germanum Dei filium. Non iste otiosus fuit auditor, neque frustra faciem suam considerauit in speculo, sed vidit, abijt, & lauit, & factus est mundus. Quis nobis talem largiatur mentem, quis nobis det còr paratum in omnem euentum quo vocat verbum Dei, quo inuitat ipsa veritas? Nemo hercle, nemo inseret nobis talem animum, nisi spiritus Dei. Vtinam ergo illabatur nostris mentibus, atque efficiat nos auditores verbi diuini.

Iacob. 1. *Ioan. 9.*

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Verbum istud Christi, quo nulla vsus circuitione, nullis ambagibus eorum ferit consciétiam, imò quo apertè eos reprehendit nihil eos veritus, altius eos pupugit quàm quisquam sperasset. Vnde tale régerunt responsum, vt planè furere eos dicas, & tamen nihil verius hac Christi sententia. Non enim erant ex Deo, & idcirco mordaci radi vero teneras auriculas suas nolebant, sed similes Philistæis quęrebant sibi homines, qui facerent illis sedes pelliceas, quo cõmodius in peccatis suis sederent 1. Reg. 5. Cõtra huiusmodi concionatores qui populi sceleribus conniuent, nec eorum vlcera tangũt, clamat Ezechiel propheta cap. 13. Væ, inquit, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Tales sunt, ait Gregorius, qui sceleratè agentibus vltro etiam adulantur.

1. Reg. 5.

Ezech. 13.

Greg li. 18 Moral. c. 3.

Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei, Nónne benè dicimus quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Is genius & natura impietatis, videlicet dum destituitur responso, nec apologiam habet in promptu, ad conuitia se conuertere. Vnde & mera animi impotentia regerunt in Dominum, quę nullam veri habẽt similitudinem. Samaritanum appellant, non quòd talem esse arbitrarentur, sed ita exprobrabant per contemptum. Samaritani enim partim legem obseruabant, partim negligebant, & contemnebant. Sic & Christiani per contemptum Iudæos vocant. Deinde Samaritanum appellant, quia videbatur in quibusdam Mosaicæ legis esse obseruantissimus, in quibusdam temerè præuaricari.

cari. Tertiò Samaritanum vocant, quia aliquoties ad Samaritas diuertit, eosque doctrina sua *Ioan. 4.* imbuere studebat. Quartò istud ei exprobrabant vocabulum Samaritani, quòd Lucæ 10. *Luca 10.* magis collaudasset Samaritanum quàm Leuitam aut Sacerdotem, in parabola videlicet despoliati à latronibus. Dæmonium autem eum habere iudicant, quia malis artibus eum sua opera facere & miracula ostendere volebant, nempe per dæmonem aliquẽ familiarem. Doctrinam reprehendũt, quando eum dæmonium habere asserunt: vitam autem, dum Samaritanum appellant. Quapropter æquo animo & infracto perferre debemus impiorum contumelias & probra, scommataque in nos torta. Si enim patremfamilias Beelzebub vocauerunt, *Matth. 10.* quanto magis domesticos eius? Videte auditores optimi, quantam filius Dei contra se sustinuerit contradictionẽ, nobis relinquens exem- *Hebr. 12.* pla patientiæ & mansuetudinis. Non est seruus maior domino suo, neque est discipulus supra magistrum suum.

Respondit Iesus & dixit eis, ego dæmonium non habeo. Ad Samaritani conuitium nihil respondit clementissimus Iesus, quanquam vulgo ita appellari magni probri loco haberetur, tamen quoniam nihil erat aliud quàm impotentis iræ maledictum, perinde quasi fungum illum vocassent, aut bulbum, nihil omnino respondit. Verùm ad dæmoniaci vocabulum intentatum respondet, sed ita vt non regerat maledictum quod in illos merito posset retorqueri, sed modestè depellat ab se; nos interim docens, vt

quoties agitur de gloria Dei, quoties aduersus impios defendenda est euangelica veritas, vehementes simus & acres: quoties verò nosipsi conuitijs incessimur, lenitatem præstemus.

Sed honorifico patrē meū, & vos inhonorastis me. Quare nō dicit, & vos inhonorastis eum, sed inhonorastis me? vt tectè significet, quòd suus honor & patris vna res sint.

Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet. Non sum equidem gloriæ propriæ affectator, sed pater meus vult mihi gloriā tribui. Qui autē à dæmone impellūtur, propriā gloriam per fas & nefas consectantur, securi an Deus honoretur ab hominibus, necne. Vnde consequitur omnino me dæmonium nō habere, alioqui totus essem in sectando & venando gloriā meam. Qui spiritu sancto aguntur, tanquam fumum & vaporem inanem fugiunt, & vitant

Exod. 3. gloriam omnem. Sic Moyses & Hieremias se
Hierem. 1. balbos appellant, sic Esaias pollutum labijs di-
Esaiæ 6. cit. Paulus se peripsema vocat 1. Cor. 4. Ex his igitur tum Christi, tum aliorū diuorum exēplis discimus, omnē fastum & ambitionē excutere, ac solius Dei gloriam quærere, vt ipse vicissim nostram gloriam quærat. Sic enim sanctorum suorum gloriam & vindicat, quos tamen mirū in modum hic mundus contempsit. Solenne verò est hæreticis vel potius hæresiarchis omnibus, bullatis & ampullosis verbis suas glorias buccinari: & cùm nihil aliud moliantur atque ædificent quàm turrim Babel, volunt tamen operarij ecclesiæ dici. Vt igitur veluti compendio quod ambiunt consequantur, præclara sibi

&il-

& illustria affingunt nomina, quo miseri popelli fidem & studium sibi arrogent. Theodas & Iudas Galilæus, sibi Messiæ nomen asciuerunt, Montanus se paracletũ appellauit, Barchosebob stellam consolatricem oppressorum, Noetus Moysen fratremque suum Aaron, Saturninus saluatoré, Menander in suo nomine baptismum instituit, vt Tertull. testatur lib. de præscript. Simon se Dei virtutem asseruit, cui & à Nerone aurea posita est statua cum hac inscriptione. Simoni sancto Deo, vt Euseb. testatur in histor. eccles. Gnostici omnium sibi rerum cognitionem, Cathari verò sibi vitæ absolutam integritatem tribuerunt. Vtrumque sibi tribuunt nostrates hæretici quidam, qui se reformatores ecclesiæ vocare gaudent. O reformatores. Osiander nominabat se secundũ Enoch, Manes vocabat se Apostolum, testis est Aug. epistola Fundamenti cap. 4. M. Luther vocat se euangelistam, & tertium Messiam, Dauid Georgius vocauit se Dauidem secundum. Hic exhumatus est Basileæ. Antichristus extollet se super omne quod colitur Deus, ita vt in templo Dei sedeat. Donatus existimabat se non hominem, sed Deum, testis est Optatus lib. 3. Hæc est arrogantia Sathanica istorum hæresiarcharum, quod equidem non vsque adeò mirum est, Luporum hæc natura est, elato capite in aërem arroganter vlulare. Oues autem demisso capite balant, qualis erat & pastor earum, dum Dauid ei hoc dictum assignat, ego vermis sum, & non homo. Dauid se vocat catellum mortuũ, Abraham puluerem & cinerem, Paulus appellat se

Tertull. lib. de præscri.
Eusebius histo. eccles.
Aug. epist. fundamen. cap. 4.
2. Thess. 2.
Optatus lib. 3.
Psal. 21.
Genes. 18.

seruum Iesu Christi. Sic Iacobus, & Petrus in epistolis suis se eodem insigniunt nomine.

Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Magna sanè promissio. Quid est mortem non gustare in æternum? Id est perenniter viuet. Quid melius vita? quid prętátius immortalitate? Quare non trahimur rei tantæ pollicitatione? Omnis defectus hinc est quòd non credimus, hoc est, quòd nō exercemus nos cogitationibus fidei, non perpendimus quid sit mors, de qua loquitur. Hei mihi, quàm nos olim pœnitebit, quod tam diuite pollicitatione non fuerimus adducti ad correctius viuendum.

Amen amen dico vobis. Quemadmodum fidelis medicus etiamsi contumelijs ab ægroto afficiatur, non tamen cessat remedia & antidoton parare: Sic Christus hic nihil motus insigni contumelia, persistit in eo quod cœpit, & euitatione æternæ mortis cupit eos allicere ad verba sua seruanda. Mortem, inquit, non gustabit in æternum. Tametsi enim morte dissoluatur corporali, hæc erit ei potius somnus, & quædā transmigratio ad vitam potiorem. Nihil terribilius mortis imagine, nihil acerbius pabulo mortis, quibus si quæras antidoton, non habeo aliquid efficacius auditione & obseruantia sermonis euangelici.

Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quoniā dæmonium habes. Deploratis istis hominibus maledicere loco responsionis est. Perpetuò enim ita inamenum illud vocabulum, dæmonium, illis medio in stomacho defixum est, vt ad om-

ad omne propositum eructetur,& in lingua natet. O prauam & nullis vnquam conuitijs satis suggillatam nostratium consuetudinem, ad tertium quodque verbum nominare dæmonem, quod Gallis receptissimum est,& plusquam solenne, Quel diable est la/ Quel diable attendez vous icy/ Quel diable que faictes vous. Pronas habet aures diabolus dũ inuocatur, atq; aderit vocatus Apollo, vt ait ille. Abstinendum est Christianis à tam inauspicato vocabulo. Narratur de puero qui sæpius blasphemans, inuocato subinde diabolo, è parentis gremio à dæmone ablatus fuit. *Gregorius.*

Abraham mortuus est & propheta, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in aeternũ. Nunquid tu maior es patre nostro Abrahã, qui mortuus est, & prophetæ mortui sunt? Quem teipsum facis? Mirantur quomodo Dominus immortalitatem promittat seruantibus sermonem suum, cùm ea nec Abrahamo, nec prophetis contigerit, quos tamen accuratissimè sermonem Domini seruasse extra dubium sit. Quid ergo, inquiunt, tu illos à tergo relinquis & excellis?

Quem ergo teipsum facis? Ita ne es temerarius & philautus, vt te summis illis viris præferre audeas? Nihil tale illi præstare potuerũt, quale tu auditoribus tuis polliceris. Quid? Num Deũ te tandem facies. Nunquid tu maior es Deo,& qui te audiũt, maiores Abrahamo: qui posteaquam locutus est Deo, circuncisionem primus accepit, & varijs iactatus casibus tandẽ viuendi finem fecit? Túne es arbor illa vitæ in medio para- *Caietanus.* *Gen. 3.*

paradisi, vt fructu sermonis tui enutriti homines non sint amplius mortales? Túne auctor vitæ es? Túne illud prophetæ tibi potes vsurpare?
Osee 13. Ero mors tua ô mors. Intellexerunt Dominũ loqui de morte hac corporali, qua migratur ab hoc seculo: ipse verò loquebatur de morte quæ est in altero seculo, hoc est de gehenna.

Respondit Iesus, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum. Ego, inquit, nihil mihi arrogo, nihil mihi falsò tribuo, etenim si hominum more mihi gloriam captarem, non esset opus apud homines eam venari. Est enim mihi pater, vnde omnis gloria tãquam à fonte vberrimo proficiscitur, qui satis superque me glorificat. Sed quomodo glorificat? Per miracula, per baptismum, per transfigurationem, per dæmonum eiectionem.

Et ego noui eum: & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, & sermonem eius seruo. Noui eum cognitione æterna vt Deus, cùm vna sit mea patrisque scientia.

Si dixero quia nescio eũ, ero similis vobis mẽdax. Nam sicut mẽtiri dicitur, qui se iactat scire quæ nescit: sic qui se ignorare dicit, quæ satis nouit.

Abraham pater vester exultauit vt videret diẽ meum, vidit, & gauisus est. Vidit quãdo Eliezero seruo quem mittebat ad accipiendam vxorem Isaac, ait, Genes. 24. Pone manum sub fœmore meo, & iura mihi per Deum cæli, vt non accipias vxorẽ filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito, sed ad terrã & cognationem meam

meam pergas, & inde accipias vxorem. Erat in lumbis & in fœmore Abrahæ semen illud sanctum, è quo traduceretur & prodiret redẽptor mundi: huic apposita manu fœmori adiuratio fiebat, nõ aliter quàm si iuraretur per Messiam venturũ. Notat hic D. Hugo Cardinalis, & nõ absurdè, Christum ostẽdere eos non esse genuinos seu germanos filios Abrahæ, eò quòd ille exultauerit, & exultando vehementer cupierit videre Saluatorem, isti verò nullo prorsus eius videndi desiderio tenerentur, sed veluti bubones lucifugæ à tanta luce abhorrerent, ac potius contristarẽtur. D. Augustinus notat, quòd Abraham iubẽs dexteram Eliezer fœmori suo admoueri, crediderit & fide conspexerit Deum cæli è semine suo proditurum & incarnãdum. Propheta, inquit Augustinus, erat Abraham, Cuius propheta? Seminis sui, & Domini sui. Semen suũ significauit, dicendo, Mitte manum sub fœmore meo: Dominum suum significauit, addendo, & iura mihi per Deum cæli. D. Ioan. Chrysost. quòd Abraham gauisus est, refert ad tempus illud quo fuit in carne: sed per diẽ Domini, intelligit tempus passionis eius, quam Abraham præuidit, dum immolaret filium. Chrysostomum sequitur Theoph. Sicut enim, ait Isaac, ligna, sic Christus lignum crucis portauit: & sicut relictus est Isaac & aries immolatus, ita & Deus alienus est à passione, humana autem natura in carne passa est. Hunc crucis diem cùm vidisset Abrahã, gauisus est. Eadem ferè cum istis, scribit Euthymius. Thomas Caietanus vult & contendit hunc locum intelligi debere

Aug tract. 43. in Ioã.

Chrys. in Ioan.

Genes. 22.

Theop.

Euthym.

Tho. Caiet.

debere de die æternitatis. Poſtremò Euſebius
Euſ. Emiſ. Emiſenus ait, quòd poteſt dies iſte intelligi tẽ-
Geneſ. 18. pus, quo ſtetit Abraham ad ilicem Mambræ, cùm videret tres viros, & vnũ adoraret. Chryſoſt. ſententiã, videlicet de die crucis ſeu paſſionis, ſequũtur Adamus Sasbautius, & Eraſmus.

Dixerunt ergo Iudæi: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Dixit eis Ieſus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Hoc tantum myſterium de die Domini Iudæi non intelligentes, rurſus conuertuntur ad carnalem intelligentiam, nihil aliud ſuſpicãtes eſſe Ieſum quàm carnalem hominem, nec ante fuiſſe quàm de Maria virgine ederetur in lucem. Nondum, inquiunt, annos natus es quinquaginta, & Abraham ante tot ætates mortuum, videre potuiſti? Excæcauit enim eos malitia, ne diem æternitatis eius perpẽderent, qui ex varijs ſacræ Scripturæ locis facilè apparebat. Ait illum Michæas, egreſſum ab initio à
Michæ 5. rebat. Ait illum Michæas, egreſſum ab initio à
Pſal. 109. diebus æternitatis. Vnde & pater, Pſa. 109. Ex vtero ante luciferum genui te. Non expendebant huiuſmodi ſcripturæ loca Iudæi, quapropter & abſurdiſsimè reſpondent. Quo reſponſo tam inſulſo, & à conuicijs prouocatus Dominus Ieſus, ſubaperit diuinæ naturæ ſcintillam aliquam dicens:

Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Ego ſum, de ſe ait, alludens ad illud patris
Exod. 3. verbum, qui eſt, miſit me. Ait ergo ego ſum de ſe, de Abraham autem antequam fieret. Nam quantum id quod eſt & quod fit à ſe inuicem diſtant, tantum Deus à creatura. Dei enim proprium

prium est esse, creaturæ autem fieri. Ad hanc autem Iesu vocem, tanquam palam blasphemam, quòd homo mortalis, vt videbatur, æternitatem soli Deo competentem, sibi arrogaret: non amplius manibus temperauerunt, sed correptis lapidibus eum obruere sunt aggressi: tanti est periculi pertinaces animos admonere. Horum ingenium ad viuum nobis referunt hęretici, qui vbi in erroribus indurauerint & obduxerint callum, nullis fomētis, nullo popismo à duritie pectoris auocari queunt. Tam grande verò hoc fuit, dum lapides arripiunt, peccatum, vt D. Augustinus dicat terram sub pedibus eorum diuidi debuisse, ac pro lapidibus inferos eos meruisse inuenire, sed tempus erat exerendæ patientiæ potius, quàm potentiæ.

Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Hic perpetuus verò Iesu mos erat, cedere malitiæ aduersariorum.

Subtrahe ligna foco si vis extinguere flammam, sic per absentiam eius in quem accensô es animo, sopiuntur lites. Sed currant Iudæi lapideo corde ad lapides, non depositurus est Messias vitā inter lapides, sed in ligno, vt antiquus ille serpens & veterator pessimus, qui per lignū vicerat olim, per lignū quoq; vinceretur. Impleri oportuit scripturā Deu. 28. Erit vita tua pendens ante te, hoc est Christus, vt interpretātur Irenęus lib. 4. c. 23. Athanasius lib. de humanitate Christi. Tertul. li. cōtra Iudæos. Lactātius li. 4. cap. 18. & Leo ser. 8. Augu&t. verò lib. 16. contra Faustum ca. 22. non diffitetur de cruce posse intelligi. Valeant ergo lapides cum Dominus

Deut. 28. Irenæus. Athanas. Tertull. Lactant. Leo. Aug li. 16. cōtra Faustum c. 22.

Psal. 95. minus regnare debeat à ligno, Psal. 95. Sic legit Tertull. contra Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem. Iustinus colloquio cũ Triphone commemorat hæc verba erosa fuisse à Iudæis. Leo certè quarto ser. de Dominica paſ. legit, Dominus regnauit à ligno. Verum optimi auditores ne sim prolixior, remitto vos ad doctissimum doctissimi episcopi Ruremundensium Lindani libellum de optimo genere interpretandi. Agit & hac de re eruditissimus inter suæ ætatis Dominicanos Melchior Canus lib. 2. cap. 3.

Iustinus martyr.

Guilel. Lindanus.

Abscondit se & exiuit de templo. August. tract. 43. in Ioan. Abscondit se, ne lapidaretur tanquam homo, tanquam in forma serui, tanquam humilis, tanquam passurus, tãquam moriturus, non tanquam ille qui in principio verbum, & verbum apud Deum. Tanquam homo à lapidibus fugit. Sed væ illis à quorum lapideis cordibus Deus fugit. Hactenus Augustinus. Eusebius Emissenus ait, quòd se abscondit, quia ab eo tempore vsque ad nostrum hoc seculum legunt Iudæi in lege & prophetis veritatem, & tamen eam inuenire non possunt. Quare hoc? Quĩa Iesus abscondit se, & exiuit de templo. Vnde ipse ait: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Narrat etiam Iosephus noctu circa templum auditas angelorum voces, Relinquamus has sedes.

Euſ. Emiſ.

Matth. 23.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

I.

Quis ex vobis arguet. Græca cum Augustino habent arguit in præsenti tẽpore ἐλέγχει, quod tamen pro-

priè est refellere & argumentis conuincere. Alioqui frequẽter Dominum Iudæi arguebant, sed non conuincebant.

2.

Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit. Hic omninò, & diligẽter notandum est, Dominum hic promittere seruantibus sermonem suum, quod cap. 6. promisit manducantibus carnẽ suam, vt clarè intelligamus verbum Dei hac in parte æquari Eucharistiæ. Vtrumque enim est panis mentem hominis nutriens & viuificans.

3.

Abraham vidit diem meum. Quomodo Abraham vidit diem Christi, quando Christus ipse dixerit Lucæ 10. Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Responderi potest, Est videre oculis carnis, quomodo Christus nec reges prophetas vidisse ait. Et est videre spiritu, quomodo viderunt hi qui concupierunt videre oculis carnis, & non viderũt. Vidit ergo Abraham in spiritu, & gauisus est. *Luca 10.*

4.

Quinquaginta annos nondum habes. D. Irenæus lib. 2. c. 40. ait Christum annis maiorẽ quadraginta prædicasse euangelium, ac ad quinquagenariam accessisse, cùm hæc illi Iudæi obijcerent. Absurdum verò istud confirmat auctoritate eorum qui hæc se audiuisse à Ioãne dicebant. Verum hæc sententia tanquam euangelistis contraria ab omnibus reijcitur. Et Eusebius lib. 3. cap. 39. notat Papiam Ioannis discipulum, quòd ex Apostoli verbis non satis intellectis tradiderit quædam, vnde & data alijs ansa errandi, inter quos numerat Irenęũ. Alij pro quinquaginta legunt quadraginta. Sic legitur apud Chrysostomum. Nonnulli existimant Christũ Iudæis visum fuisse seniorem quàm erat, propter labores, vigilias, & preces nocturnas, atque ieiunia. Probabilissimum est eos spectasse ad annum iubilæum

Irenæus lib. 2. *Euseb. li. 3 cap. 39.* *Papias.*

læum, qui quinquagesimo quoque anno recurrebat, atque appellabatur seculum. Volunt igitur dicere nondum vnum sæculum explesti, & audes dicere te Abraham vidisse? Huic sanè affine est quod *Theophyl.* ait Theoph. quosdam dixisse quinquaginta annorum factam mentionem ob honorem anni iubilæi.

DOMINICA PALMARVM EVANGELIVM.

Mat.21. Mar.11. Luc 19. & Ioan.12.

CVM *appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos.* Historiam palmarum & ramorum cùm describant Euangelistæ omnes, non est dubium quin singulare aliquod mysterium significet, vel in se habeat. Pluries enim Christus fuerat Hierosolymis, nunquam tamē eo modo intrasse legitur. Nunquam enim tantis plausibus tantoque honore fuit exceptus. Voluit itaque dare specimen quoddam regni sui. Sed queri posset, cur tantum pompæ & festæ acclamationis sibi permiserit impendi, cùm hactenus semper humilia fuerit consectatus, & præsertim cùm post dies paucos ad summam sit redactus ignominiam? certè vt intelligant omnes qui pompas ambiunt, quàm sit vicinum & germanum summum decus summo dedecori. Ornatur sacerdos sacrificaturus, sponsus spōsam ducturus, rex inaugurandus, & Christus passurus. Sic cum incredibili pōpa, puellis vndique concinētibus, & sistra, tympanaque pul- *2.Reg.18.* santibus, ductus est Dauid in Hierusalem, qui honor & plausus ingenti cum persecutionis, ærumnarum tribulationumque fœnore repensus est

ſus eſt à Saüle,& guttam quantulamcunq; gaudij ingens dolorum fluctus abſorbuit. Sic Dominus vult hic oſtendere, quòd omnis mundi gloria nihil ſit aliud quàm flos fœni,Eſa.40. atque idcirco in ſummo illo applauſu, vt refert Lucas, vberrimè fleuit. Et fortè idcirco feſtæ huius diei ſupplicationi ſeu proceſsioni pręfertur crux, nimirum ita ordinante conſul ò matre Eccleſia,vt omnes filij eius intelligant omnem mundi huius pompam ac lætitiam cruce excipi. Mundus enim vinum prius bonum propinat, deinde id quod deterius eſt: prius merũ, poſterius vappam. Iam oleaginis ramuſculis & palmis excipitur Chriſtus, & poſt quinque dies excipietur in ſpinis & ſentibus. Nũc introducitur vt rex, tum educetur vt latro. Nunc offeruntur in pompam veſtimenta aliena, tunc in ignominiam exuentur ei & propria. Nunc clamatur Oſanna,& benedictus qui venit,tũc clamabitur, Tolle hunc,crucifige,crucifige. Nunc quicquid hominum ei fauet,accurrit, tunc etiã diſcipuli fugient. Nunc illum vehit, dorſo ſuo ornatus aſinus,tunc ipſe vehet horribilem crucis trabem humeris. Seruemus igitur in honore modeſtiam. Quemadmodum enim nihil aura mobilius eſt, quæ nunc ab Auſtro, nunc ab Oriente aut Occidente perflat, ita nihil præſenti fortuna inconſtantius. Modò extollimur vſque ad cælum, cras deijcimur vſque ad infernum. Ad quam rem oſtendendam ipſe hodie Chriſtus in celeberrima totius Paleſtinæ metropoli exquiſitiſsimo voluit excipi plauſu, vbi paulò poſt teterrimo mortis genere elegit interire

Eſaiæ 40.
Lucæ 19.
Ioan. 2.

& è vita migrare. Id quod ipſe in ſe eſt expertus, pleroſque ſuorum diſcipulorum etiam experiri voluit, præcipuè D. Paulum, qui ſæpè in ijs locis vbi ſummo cum honore fuit exceptus, poſtea fœdè eiectus fuit. Operæpretium eſt audire quid Crœſo Lydorum regi aliquando dixerit philoſophus Solon, cùm rex ille gloria dulci ebrius omnes ſuas gazas oſtendiſſet. O Crœſe, inquit, homo eſt maxima miſeria. His verbis ei fortunæ varietatem obiectauit, quam & Crœſus facilè ſenſit, dum exercitu florentiſſimo exutus, viuus veniſſet in poteſtatē. Nam rogo & flammis admotus à Cyro victore exclamauit, O Solon, Solon. Auctores huius hiſtoriæ ſunt Iuſtinus lib. 1. & Herodotus inter prophanos: in ſacris verò Theodoretus lib. affectionum Grecar. ſerm. de homine. Dionyſius Syracuſanus tyrannus eandem fortunæ inconſtātiam ſenſit. Qui cùm è portu ſolueret, quingentas bellicas naues in altum produxit, ad terreſtre bellum verò, centum milia peditum, nouem equitum armauit: tandem verò ſeditione populari preſſus, proprios coram ſe filios mactari vidit, pudorem filiabus virginibus eripi, ac deinde denudatas trucidari, poſtremò ipſe ad fortunæ ludibrium veluti ſeruatus in tonſtrinis ſedens, omnibus riſum, paucis commiſerationem mouit, ita ſcribit Ælianus lib. 6. Sed quid cum prophanis iſtis hiſtorijs? Potius mundi variantis vices in Adonibezech videamus, qui dum regni ſui pomeria longè lateq; extendiſſet, ſeptuaginta reges ſub menſa prorepētes, ciborumq; buccellas auidè deuorantes ſibi obnoxios

Iuſtinus lib. 1. Herod. Theodoret. ſer. de hominis natura.

Ælianus lib 6.

Iudic. 1.

noxios

noxios habuit, truncatis primoribus manuum pedumque digitis: sed reflante fortuna eodem supplicij genere affectus fuit. Quid de Abimeleche dicam, qui eandem crudelitatẽ, imò longè atrociorem in fratres proprios exercuit: septuaginta enim erant, quos omnes, quo solus rerum potiretur, iugulauit: qui ipse tãdem mutata sorte à muliercula, regno & vita, vtriusq; indignus, spoliatus est. Sed nimius fortassis videar. Quapropter nunc ad alia. Olìueti mons ab oliuis, id loci frequentibus est dictus. Olim qui pacem vel indicebãt, vel postulabant, oliuæ ramum ferebant. Hinc illud Vergilij: *Iudic.9.*

Aeneid. lib.11.

Iamq; oratores aderant ex vrbe Latina
Velati ramis oleæ, veniamq; rogantes.

Christus igitur cupiens se cunctis ostendere pacificum esse regem ac principẽ, qui inter subditos suos pacem vigere ac virere velit, ad florentem multis oliuis montem se ingressurus regiam vrbem, recepit. Iesus enim noster, rex noster, redemptor noster, columba illa pacifera, atque oliuifera est, quæ viridanti oliuæ ramusculo, & Noë, & quicquid in arca hominum erat, mirificè recreauit, mundoq; optatam pacem iam iam redditam nuncians. Cùm enim inimici essemus, ô Christe, reconciliati sumus Deo per sanguinem tuum. Oleum luminis est fomentum, sed quæ maior nobis lux, quàm per hunc regem nobis in tenebris sedentibus aperiri aut adferri potuit? Hic est noster rex, qui peccatorũ nostrorum iugum à facie olei computrescere faciet, nostra vulnera si qua à viroso serpẽte accepimus, oleo misericordiæ foturus. *Gen.8.* *Rom 5.* *Esaiæ 10.* *Lucæ 10.*

Tunc misit duos discipulos. Duo par amoris sunt, & iugum charitatis. Sic olim in antiqua lege mittit Moysen & Aaron fratres legatos ad regem Ægypti Deus. Hilarius, Chrysostomus, & Ambrosius, scribũt istos fuisse Petrum & Philippum. Auctor operis imperfecti asserit fuisse Petrum & Ioãnem, quos & Christus postea misit ad parandum agnum Paschalem. Sed

Lucæ 24. parui refert qui fuerint. Sic duo discipuli vadũt

Lucæ 10. in Emaus. Sic misit discipulos binos ante faciẽ suam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse venturus. Misit etiam duos, vt sciatur ad vtrumque populum mittendos, qui ad Domini obsequium, tum Gentes, tum Iudæos adducerent, ac verbum Dei annuntient, Galat. 1.

Et dixit eis, Ite in castellum quod contra vos est. Quidam per castellum, intelligunt ciuitatem Hierusalem, sed hallucinantur omninò, vt in annotationibus huius euangelij explicabimus. Verisimile est Dominum eis monstrasse vicum Bethphage, de quo dicitur, contra vos est, hoc est, è regione vestri, vel in conspectu vestro. Sunt qui arbitrãtur vicum aliquem præclarum fuisse vrbi adiacentẽ, vt ferè fit in vrbibus egregijs, in quo essent huiusmodi animalia, quæ ferendis oneribus subseruirent. Tales vicos habet Anduerpia & Lutetia, quos si ingrediare, propter hominum frequẽtiam ac ædificiorum splendorem in ipsa te vrbe versari credas.

Et statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi. Quæri hic potest, quidnam hic sibi Dominus velit, quòd asinum adduci iubeat, cùm perpetuò ei mos fuerit

fuerit pedibus conficere iter. Quin & D. Lucas docet eum per Samariam & Galilæam fuisse profectum. Quid igitur mysterij habet, quòd tam breue, quod restabat viæ, asino transmittere cupiat? Non sufficit opinor dicere id factū esse propter prophetiam Zachariæ. Nam manet quæstio eadē videlicet, cur per Zachariam id Dominus prædici voluerit. Quapropter existimauerim Dominum sub mortem, quæ iam instabat, decreuisse aliquod regni sui specimen propalam declarare, ac verum tot patrum votis expectatum esse Messiam: vna opera & bonos in fide erga se cōfirmans, & malis qui eum recipere noluerunt, omnem excusationis ansam auferens. Animaduertendum etiam quomodo scriptores sacri ad sensum mysticum hęc animalia interpretentur. Chrysostomus putat ea similitudinem habere hominum Dei filium ignorantium. Est enim animal istud celebratæ apud omnes stupiditatis & stultitiæ, oneribus dorso vectandis accommodum. Tales erant homines ante Christi aduentū immundi, verbi ratione carentes, stulti, & ad simulachra muta prout ducebantur euntes, ac Iouis, Saturni, Mercurij, Martis, Veneris, Cereris, Dianę, Palladisque sarcinas tergo excipientes, cuius stupiditatis & inertiæ D. Paulus insimulat Corinthios suos. *1. Cor. 12.* Hieronymus in Matth. Cyrillus in Ioannem, Origen. Beda, Thomas Aquinas, & Druthmarus, per asinam intelligunt populum Iudaicum, seu synagogam, per pullum verò populum gentilem. Synagoga iam aliquot seculis iugum legis tanquam cicur & edomitum ani-

mal tulerat, collumque planè attritum habuit, vt non malè dixerit D. Petrus, cùm suauissimũ euãgelij iugum, quod hominem à seruitute asserens, libertati Christianę transscribit, cuperet potius esse commendatissimum: quid tentatis imponere iugum super ceruices nostras, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt? Hæc asina proculdubio mater est Gentium, quia salus ex Iudæis est. Pullus, gentilis igitur populus est, nullo (vt Cyrill. Alexand. in Ioan. scribit) legis onere pressus, effrenis, petulans & petulcus, quocumq; fert impetus ruens, atq; ad omnia idolorum orgia sacra sacrificiaq; subsiliens atque tripudians. Nulla enim ferè gentibus stata, certaque religio, vnde & Paulus Gentes in hoc mundo sine Deo fuisse scribit. Quę enim stata religio, cùm testetur Oenoraus philosophus triginta fuisse deorum milia. Nam & portentorum magister Ægyptus cœpas, allia, boues ac crocodillos suos in deorum numerum redegit. O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina. Orpheus quoque poëta antiquissimus triginta deorum milia numerat. Eripiatur itaque, eripiatur tam multiiugæ seruituti noster asinus, & vnius Dei cultui consecretur. Origenes vult D. Petrum ad subiugalem asinã missum, Paulum verò ad pullum filium subiugalis, vt ille Iudæorum, iste Gentium sit Apostolus. Venerabilis Beda commemorat asinam istam fuisse ad pauperum vsum deputatam, eò quòd proprijs carere soleant iumentis, quibus sarcinulas suas vectent. Olim homines locupletes, cùm charitas proximi, non

Act. 15.

Ioan. 4.

Ephes. 2.

Iuuenalis.

Beda in lucam cui tamen Beda r. clamat Lus[e]ius.

non ita vt modò refrixerat, certis ſolatiolis inopes & egenos adiutabant,ſuoq; etiam diſpendio illorum compendijs ſtuduerunt. Hinc illa ſpicilegia Leuit. 23. vbi ſic habet lex Domini: *Leuiti 23.* Cùm meſſueritis ſegetem terræ veſtræ,non ſecabitis eam vſque ad ſolum, nec ſpicas remanentes colligetis, ſed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Solebat olim & apud Flandros paſcua quædam pauperibus cõmunia eſſe,quorum gramen viduæ alicuius vaccula tondebat, ne paruulis eius, vel lac,vel butyrum omninò deeſſet. At modò harpyiæ potentes omnia inuolant,omnia interuertũt,vel potius,communia omnia in proprios priuatoſq; vertunt vſus, pauperibus interim fortiter eſurientibus. Vtinam huiuſmodi ſatrapæ videãt aliquando quid Iezabeli cum ſuo Achabo euenerit,qui vineam Naboth rapuerunt.Poſſem hic commemorare *3.Reg. 21.* quam vaſtitatem nonnunquam impius miles pauperum ruſticorum agris,pecori, fortunuliſque inferat, dum huic equum, iſti bouem abigunt,quo iure,quáve iniuria,iudicent alij. Vtinam aliquando boni Superi huc demittãt oculos, propiuſq; res noſtras aſpiciant ac medeantur. Sed vetus hęc de militibus querela eſt,cùm & ante Chriſtum natum annos ferè 1251. milites gregarij Abimelech vineas Sichemitarum *Iudic. 9.* eruerint, botroſque ipſos ac racemos pedibus conculcauerint, & ſub Chriſti aduentum canat Vergilius:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit *Aegloga. 1.*
Barbarus has ſegetes? En quo diſcordia ciues
Perduxit miſeros.

Sed summæ dicet aliquis, humilitatis fuit, ne dicam vilitatis, filium Dei asino sedere. Quem enim locum habet asinus in regum triumphis vel inaugurationibus? Equũ potius animosum aureis instratum ephippijs, argenteisque stapedibus orńatum adhiberi decuit: imò & Christo sessori calcaria adiungi aurea, ac monilia gestare collo varijs margaritis collucentia, hinc illincque latus eius cingentibus hastatis & doriphoris, postremò regiam coronam capiti eius impositam esse oportebat. Clamant enim Iudæi, nolumus hunc regem tam vilem, tam pauperem, qui non habet quo caballum vnum aut alterum alat: locupletem volumus, ornatum volumus, nobilem & animosum volumus. Itáne occæcati talpæ fastiditis pauperem? Qui pauperem regem renuit habere, diuitem non est habiturus in cælo. Certè vester, ó Iudæi,
Zach. c. 9. propheta Zacharias præcinuit eum futurum pauperem. Deinde non fuit absurdum, imò potius receptum apud Iudæos, principes & proceres non equo, sed asino vel mula vehi. Nónne asino sedit Axa? Abigail quoque. De viris dicam, Balaam asino sedit, Numeri 22. Et filij Iair iudicis Israëlis asinis insidebant. Et Achitophel summus in aula regia consiliarius, dum domum se reciperet, asino vectus est. Verum nequaquam est asinus hic nostro regi pudori, sed honori potius coram angelis, Prophetis & Patriarchis. Si bellare decreuisset, equus fuerat parandus: at cùm pacem adferat, asinum consultò adhibet, vt discant omnes aliam esse regni Iesu, & aliam regnorum huius mundi conditio-

Indic. 1. 1. Reg. 25. 2. Reg. 17

ditionem. Vtinam nonnunquam principes & prælati nostri sese etiam demitterent in subditorum suorum exemplum & vtilitatem. Vtinam aliquãdo ab equis ad asinos descenderent.

Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Non ait, Dominus Nazareth, aut Iudæorum, his indiget, sed simpliciter, Dominus & per emphasim, cuius maiestatis nullus sit vel limes vel terminus, qui maximus rerum est in mari, terra, cælo, & in omnibus abyssis. Imò huius Domini verba tantam spirabant vim, vt veluti stupidos redderent, atq; extra se ponerent asinorum custodes, vsq; adeò vt attoniti dicerẽt, quod habet Marcus, Quid facitis soluẽtes pullum? Nam statim vbi responderunt discipuli, Dominus his opus habet, dimisit iumenta abduci qui ea seruabat. Dicitur ergo simpliciter, Dominus his opus habet, non Dominus noster, sed absolutè & cũ articulo ὁ κύριος. Sed quomodo Dominus his iumentis opus habet? An eget bonorum nostrorum tanta bonitas? cuius est orbis terræ & plenitudo eius? Quomodo indiges Domine, qui omnia pugillo concludis? Respondeo. Quòd Dominus non eget creaturis suis, vt ei quicquam largiantur, aut vt ab eis aliquid commodi consequatur, sed vt eis prosit, & vt ostendat suam in nos bonitatem. Sibi sufficit fons, indiget tamen riuo, vt abundantiam suam deriuet & eroget. Sic medicus eget ægro, vt edat artis suæ specimen. *Marci 11.*

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam. Dicite filiæ Syon:

Zachar. 9. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullum filium subiugalis.* Ex Zachariæ cap. 9. sumptum est hoc testimonium, neque tamen secũdum veritatem Hebraicam, neque secundum versionem Septuaginta ita legitur, quædam enim sunt mutata, quędam omissa, sed verbotenus manente eodem sensu. Filiam autem Syon merito gaudere debere dicit, quòd iam dudum expectatus rex eius adueniret, & quidem ad saluandum, non ad perdendum: neque aduenit cum terrore, sed cum omni mansuetudine, vtpote non insidens sternaci & bellipotenti caballo, sed mansueto & simplici asello: & ob id non esse cur amplius metuat vel antiquos suos hostes, à quibus iam est liberanda, vel ipsummet regem suum, qui ita benignum & mitem sese exhibet. Non ineptè feceris, si prophetiæ Zachariæ iunxeris verbum. Esaię c. 62.

Esaie 62. Exulta, inquit, filia Syon, Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius corã illo. Si verò pergat quis inspicere Zachariam, sequitur in capite 9. Dispergam quadrigam Ephraim & equum de Hierusalem, dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus. Non igitur contemnendus aut fastidiendus rex iste, per quem Deus disperget, & quadrigam Ephraemiticam, & superbum equum Hierosolymitanum. Noli contemnerè quod in asino sedeat ô filia Syon, quia asinus iste præstantior est superbo equitatu, & rex inermis facilè armatũ equitatum profligaturus est. Quid verò opus est bellico apparatu, cùm gentibus adferat pacem? Quod si quispiam arcum contra

tendat

tendat, vt vel regem tuum ô filia Syon, vel aſellum eius feriat, confeſtim arcus ille confringetur, tantum abeſt, vt quicquam efficere queat. Dicite ergo filiæ Syon, id eſt, eccleſiæ vel animæ fideli: *Ecce rex tuus*. Si ſumus filiæ tuæ ô Ieſu, ergo bona tua noſtra ſunt, cælum tuum noſtrum, ſanguis tuus noſter eſt. Vulnera tua noſtra ſunt, merita tua noſtra ſunt. Sic eſt proculdubio. Rex noſter eſt, ſi quo egeamus, libellos ei ſupplices porrigamus, & noſtras querelas in ſinum eius deponamus. Non venit regia potentia perditurus, ſed adiuturus. Non venit ad tua rapienda bona, ſed ad ſua præſtanda. Non eſt rex aut auarus aut ſanguinis ſitiẽs, ſed manſuetus.

Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus, & adduxerunt aſinam & pullum. Vnica miſsis Apoſtolis iſtis cura fuit Chriſti præceptoris ſui voci obedire, vnde & omnia illis eueniunt ex ſentẽtia. Sic verbo Dei ante obedijt Petrus in captione piſcium, & ſuccedit. Luc. 5. Statim igitur inuenerunt aſinos, & ſoluerunt duxeruntque ad Ieſum. *Lucæ 5.*

Et impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Videlicet ſuper veſtimẽta ſua, vel ſuper aſinam & pullum. Ioannes Gagneius ait, quòd ſedit ſuper vtrumque animal. *Ioan. Gagneius.* Remigius verò quòd primo ſedit ſupra aſinam, *Remigius.* deinde ſuper pullum eius, vt ſignificaret primum quidem Synagogam Iudæorum, deinde verò Gentilium eccleſiam Dei ſedem futuram. Notandum verò hic quod tres euãgeliſtæ tantum pulli meminerunt ſupra quem ſederit Dominus,

minus, quia tres isti Marcus, Lucas, & Ioannes gentibus scripserunt solùm. Cùm verò Matthæus etiam Iudæis conuersis scripserit, non potuit omittere asinam per quam significabãtur. Vtrosque populos saluare venerat Iesus, & ideo in vtroque iumento sedit, id quod Prophetæ nusquam non prædixerunt. Sic enim
Esaia 49. in Esaia legis: Parũ mihi est, vt sis seruus meus ad suscitandas feces Israël. Dedi te in lucẽ gentiũ, vt sis salus mea vsq; ad extremũ terræ. Hoc etiã prçuidens ipse Patriarcha Iacob, cùm Iudã
Genes. 49. benediceret: Non auferetur, ait, sceptrũ de Iuda, &c. Sequitur: Ligabit ad vineã pullũ suum, et ad vitim ô fili mi asinã suam. Ecce vterq; populus ligatur ad vitim illam, id est Christum, ex qua vite nouum mustum profluit, & nouum vinum cor exhilarans. Propter has & similes scripturas ego lubenter, neglecta omni Synecdoche, Dominum Iesum super vtrumque animal sedisse fatebor. Si qui sint, qui eos sequi malint, qui solum super pullum sedisse dicant Iesum, non refragabor. Sed quæ vestimenta imposuerunt Apostoli? exteriora scilicet nempe pallia, nam Græcè est *ἱμάτια*.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij cadebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Si quid habuissent vestimentis ipsis preciosius, vtique dedissent. Ecce insignem beneuolentiam, etiam asinæ pullique pedibus vestes suas calcandas prosternunt, hoc officio se totos Christo offerẽtes. Alij cum ramis adsunt, eos vel sternentes, vel manibus ferentes. Ad-
Ioan. 11. ijcit Ioãnes, quòd Christo cũ ramis palmarum ob-

obuiam ierint, victoriã qua Dominus mortem moriendo erat ſuperaturus, prænunciantes. Palma apud veteres dari victoribus conſueuerat. Vnde & de martyribus, qui tyrannos in martyrij certamine ſuperârunt, dicitur: Et palmæ in manibus eorum. *Apoc. c. 7.* Deinde & palmæ natura eſt, oneri impoſito non cedere, imò potius aduerſum pondus aſſurgere ac reniti. Sic Dominus Ieſus neque perſecutioni vnquã quamlibet graui & acerbæ ſuccubuit, neque irruentibus tribulationum procellis ceſsit. Quapropter merito ei palmæ præferuntur. Huc facit quod legimus 1. Machab. cap. 13. quòd Simõ *1. Mach. 13* Machabeus iam victoria de allophylis gentibus data triumphum agens, intrauit templum cum laudibus, & ſecutus eſt populus cum ramis palmarum, gratias agens, quòd contritus eſt inimicus ex Iſraël. Sic Dauid proſtrato Go- *1. Reg. 18.* lia ſummo cum plauſu exceptus eſt Hieroſolymis. Verùm grande iſtud & admirandum ſpectaculum, iam enim primũ parabatur bellum, necdum certamen initum erat, & iam triumphum celebrabant turbæ populorum. Nunquid ſciebant quod habiturus eſſet victoriam? Imò nec iſtud nouerant, quòd ad pugnandum venerat. Abſconditum erat cunctis gentibus hoc diuinitatis conſilium, quod per paſsionem & mortẽ ſuam deſtructurus eſſet eum, qui mortis habebat imperium, qui eſt apoſtata & tentator fratrum. Imò ego arbitror eos ſpiritu ſancto ſuaſore hæc egiſſe. Certa enim erat victoria de mũdo, carne & diabolo, cur igitur non ageretur triumphus? Si Ieſus vinci non poteſt, ſi ſu-

perat

perat omnes contra quos decertat, quare non canetur ante victoriam triumphus? Lubenter hoc loco monuero viros locupletes, qui agrorum, pascuorum, arborumque copia vulgus hominum præcellunt, ne sibi solis se natos existiment, nec sibi solis diuites esse, verum & egenis. Diuidant igitur arborum fœtus, & frugum aceruos pauperibus, quod vbi fecerint, sibi factum existimabit Christus, ac gratias referet vbi fuerit opportunum. Illi sternantur tua vestimenta, illi sudent seu spument torcularia, illi fœcũdi sint agri, illi excutiantur rami arborum, illi deniq; tuum pecus distẽta lacte ferat vbera, illi deniq; prematur caseus, eliquetur butyrũ.
Ruth 1. Exemplũ habes in diuite illo Boos, & in Abi-
1. Reg. 24. gail. Nisi alienus à nostra fuisset religione, præponerem imitãdum Cimonẽ Atheniensem, qui hortorum suorum sepes & macerias diruit, quo pauperibus fructus legendi maior & liberior fieret copia. D. Hylarius episcopus Arelatensis quanquam nobili familia ortus, agriculturam exercuit, quo plurimorum inopiæ consuleret. Memorabile est quod epistola ad Sophronium
Basilius epistola ad Cæsareum. narrat D. Basilius de Cæsareo Greg. Nazianzeni fratrẽ, quod moriens ita mandârit suis: τὰ ἐμὰ πάντα βούλομαι γίνεσθαι τῶν πτωχῶν. Id est, quæ mea sunt, omnia pauperum esse volo. Neq; solum vestibus stratis in via, vel sparsis ramis nouum regem honoratum videmus, sed faustis quoque & festis vocibus ei est acclamatum.

Turba quæ præcedebant & quæ sequebãtur, clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid. Consuetudo receptissima est apud omnes ferè gentes,

vbi reges parta victoria ad suos se recipiunt, exquisitissimis honoribus, & ingenti occurrentis plebis applausu excipi, præcipuè in vrbibus insignioribus & populosis. Operiũtur domorum frontes tapetis & auleis, suspenduntur imagines, magno sonitu agitantur campanæ, ingenti boatu flammas vomunt vrbis tormenta omnia, plateę verò varijs herbarum, florumq; pinguntur coloribus. Nec desunt voces gratulatoriæ, *Viuat Rex, Viuat Imperator*. Verùm hæc omnia quę diximus, nihil habent ad nostri Regis triumphum, qui talis fuit, tamq̃ue splendidus atque magnificus, vt reges omnes & principes ab equis suis meritò descendere debeant, & regem nostrum in asino sedentem vtroque flexo poplite adorare. Quid nos facturi sumus Christiani, si ita Iesum celebrant & laudant Iudæi? Quo nõ odio, qua nõ reprehensione digni sunt Christiani, si taceant clamantibus Iudæis! Hic omnino sciẽdũ est, quod Hosanna, vel Hosaanna, Hebræis familiaris est acclamatio, quæ in festo tabernaculorũ quotannis canitur ab eis ramos & frondes gerentibus & cõcinentibus, vt nos in Litanijs nostris solemus. Primũ recitatur illis ingẽs aceruus nominũ Dei, & ad singula succinitur Hosiána ad hũc maximè modũ.

Legitur istud in cõstitutionibus Iudæorum.

Propter te Deum Deorum, Hosanna.
Propter te Dominum Dominorum, Hosanna, &c.

Deinde recensetur magnus aceruus eorum quæ Deo attribuuntur, vt,

Propter veritatem tuam, Hosanna.
Propter testamentum tuum, Hosanna.
Propter promissiones tuas, Hosanna.

Post

Poſt hæc magna additur congeries rerum earum quas ſaluari cupiunt.

Templum tuum, Hoſanna.

Montem Moria, Hoſanna, &c.

Tum redeunt ad ἀνθονομασίας Dei, vt

Domine ſaluator, Hoſanna.

Redemptor & ſaluator Hoſanna.

Tandem mutatur forma cantionis ad hunc modum,

Quæſo redime ſurculum plãtationis tuæ, Hoſanna.

Quæſo reſpice ad fœdus annuli tui, Hoſanna.

Denique nullus eſt exclamandi; neque finis, neque modus, ſed omnia perſtrepunt & reſonant, reboantque, Hoſanna, Hoſanna, maximè ſeptimo eius feſti die. Itaque quod in feſto tabernaculorum facere conſueuerunt Iudæi, vociferantes, Hoſanna; & ramos palmarum geſtantes: hoc iam ſpiritu Dei ad hoc exſtimulante, extra tempus, ſed opportunè tamen facere properant. Significat verò Hoſanna, ſecundum Hieronymum, VVicelium, & Ianſenium, ſaluifica, vel ſaluum fac. Modeſtè hic notat Ianſenius, Auguſtinum, quod in Ioannem, & lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 11. non ſit ſatis aſſecutus vocem, Hoſanna.

Hoſanna filio Dauid. Id eſt, ſaluifica filium Dauid. Precantur enim turbæ iſtæ Deum, vt nouum ſuum regem Ieſum, qui eorum plauſu veluti recipitur & inauguratur, ſaluum faciat & fœlicem, vt ſub illo, & per illum, ipſi quoque ſalutem & proſperitatem conſequãtur, ab omnium hoſtium tyrannide liberi. Vocant autem filium Dauid, ſed cum articulo, ſignificantes

ipſum

ipsum esse expectatum Mesiã, & expectatum fructum Dauidis, de quo Psalmo 132. De fructu vêtris tui ponam super sedem tuam. Quod verò & præcedentes, & sequentes Iesu nouo regi cecinerint Hosanna, & paribus vocibus celebrauerunt, pulcherrimè, sed mysticè, interpretatur D. Gregorius homilia 17. in Ezechielem. Præcessit, inquit, Iudaicus populus, secutus est Gentilis. Et quia omnes electi siue qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui nunc in ecclesia existunt, in mediatorem Dei & hominum crediderunt & credunt: qui præeũt & qui sequuntur, Hosanna clamant. *Psal. 132.* *Gregorius Hom. 17. in Ezech.* *M. sentent. di. 25. tert. sentent.*

Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis. Sicut ineuntibus magistratum solemus benè precari, & optare prosperum successum, vt ipsorum cura, & sollicitudine, magnos Respublica progressus faciat, & eorũ laboribus & vigilijs aspirent superi, sic & isti Domino bene precantur, Optant vt auspicatissimè regnum suum ingrediatur & auspicetur, vt sit benedictus, & vniuersa quæ tentauerit, secundet Deus. Meritissimo verò Christus tantæ gloriæ encomio celebratur, qui in omnibus patris sui gloriam vnicè sitiebat, & quærebat. Qui verò nihil aliud quàm propriam gloriam quærunt ac proflant, securi quo loco sit aut habeatur gloria Dei, hi cùm sint misera inanis gloriæ mancipia, nihil ferè honorum aut laudis solidæ vnquã consequuntur. Solet enim solis vmbra sequi abeũtes, & fugere se sequentes. Ex hoc loco sumptum opinor canticum illud trisagion, quod inter missarum solennia

decantatur conflatum, & contextum partim ex laude angelica Esaiæ 6. partim ex hac plebis commendatione & acclamatione. Profectò illud trisagion miro feruore atque incredibili affectu cantari in ecclesia solet. Collaudamus enim in eo Christi nostri aduētum in carnem, optamusq́; ex animo vt ab omnibus benedicatur & laudetur, is qui olim propter nos in hunc venit mundum. Siquidem per Hosanna nō Christo, sed nobis per Christum & propter Christum salutem precamur. De hoc trisagio

Concil. Vasense ca. 6. Concil. Vasense sub Leone primo, & Theodosio iuniore (cui & B. Prosper interfuit) ait, quòd tā dulcis & desiderabilis vox sit, vt etiam si die noctuque dici posset, fastidium generare non possit. Quod idcirco dixit Cōcilium, quoniam quidam erant tali zelo commoti, vt putarent tam iucundum canticum in missis matutinalibus, vbi totus populus non adest, nec in missis pro defunctis, aut in diebus ieiunij, non esse decantandum.

Hosanna in altissimis. Qui per Hosanna intelligūt populum sibi à Christo precatos salutem, hanc partē, *Hosonna in altissimis*, sic intelligunt, Saluifica nos in altissimis, hoc est salute æterna nos dona. Qui sensus probè nobis conuenit, in cantico trisagio, & nos dicimus, Hosanna in excelsis, vt sit sensus, O Domine salua regem nostrum, & per illum nos, non tantum in terris in hoc vili & humili luto, sed etiam in excelsis apud cælestes & sublimes illas sedes: Vt scilicet salus quam precamur, ad cælos etiā vsque pertingat. Hic enim sensus consonus est cum eo

quod

quodhabet Lucas, Pax in cęlo,& gloria in excelsis. Acsi dicant, Non quærimus salutem in terra,qualem nobis præstiterunt Ioseph, Moyses, Iosue, & alij olim suo tempore dicti saluatores:sed in cælo,Id est,quæ nos cælo reponat, & æternæ beatitudinis participes reddat. Non quærimus terram fluentem lacte & melle, non eripi à terrenis hostibus, sed sic ab insidiis omnium spiritualium hostium eximi, vt triumphemus in excelsis. Luc.19.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENS EVANGELIVM.

1.

Ite in castellum quod contra vos est. Quidam volunt intelligi Hierosolymã, inter quos & Georgius Vvycelius. Verum textus Græcus non patitur hanc interpretationẽ, κώμη enim vicum vel pagum significat,& proinde ineptè ita appellaretur metropolis totius Orientis, quia sic eam appellat Cornelius Tacitus, D.R. Iansenius putat fuisse ipsum vicum Bethphage, de quo dicit Dominus, contra vos est, hoc est è regione vestri. Thomas Beaulxamis(cuius Quadragesimales sermones vel cedro digni sunt) refert fuisse vicum Hierosolymæ adiacentem. Nicolaus Zegerus suspicatur fuisse Bethaniam. Hos itaque sequar relicto VVicelio.

2.

Magister noster Ioannes Hessels sequẽs Bedam, Hieronymum, & Rabanum, ait asinam communem fuisse in Ierusalem, asseruatam in vsus pauperum. Nec propterea ab horum sententia discedendum videtur, quod Lucas scribat dominos fuisse qui iumenta dimitterent, possunt enim intelligi domini illi fuisse custodes, ne cuilibet passim liceret abducere animalia.

3.

An fuerit diſſonantia inter Euangeliſtas, cùm Matthæus, Marcus & Lucas, dicant Dominum ſediſſe ſuper pullum, ne mentionem quidem vllam facientes aſinæ. Reſpondet Auguſtinus libro de conſenſu Euangeliſtarum, Matthæum Hebraicè ſcripſiſſe Iudæis, proinde ſecutum eſſe Hebraicam veritatem, quæ pulli ſimul & aſinæ meminit: tres verò reliquos Euangeliſtas gentibus Euangelium prodidiſſe, & idcirco 70. interpretum tranſlationem ſecutos, qui pulli tantum meminerunt.

4.

Benedictus qui venit. Notandum quod verbum, *venit*, non ſit temporis prętериti, ſed præſentis, cùm Grę cis ſit ὁ ἐρχόμενος, id eſt, veniens.

FINIS.

Homiliæ hæ, ad publicum Reipublicæ Chriſtianæ vſum excudantur.
XX. Sextilis, Anno LXXIIII.

I. *Molanus, Apoſtolicus & Regius librorum cenſor.*

LOVANII,
Typis Ioannis Maſij Typogr. Iurat.
ANNO 1575.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

Prior numerus faciem, posterior lineam significat.

Fol. 6.li.2.tondent. 8.li.11.dele nobis. 12.li.26.deserere iubet. 13.li.18.affert. 14.li.23.inconcessam. 15.li. 22.lacunae. 27.li.1.respicere. 28.2.vt se à. Ibid.12.Quaecunq;. 39.17.morte. 41.26.riui spiritus. 43.13.lib.4. Ibid.16.cap:40. 51.26.eã quae. Ibid.27.dele quam. 40.24.salubre 71.6.literariae. 74.31. vndiq;. Ibid.32 princeps. 76.29.Diuos-Deus. 79.25.lapidesq́;. 81.5.lib.2. Ibid. 7.velamina. 86.15.Ser.3.de. 87.12.nascitu-rum. 102. 16.dele sed. 104. 22.casta con. 108.25.tur,idq́ue. 121.27.simus eorũ,quae. 128.9.confirmat ecce. 132.4.tuerint. 138.25.adest tempus. 143.20.dele nobis. 144.22.topologiam. 150.27.lege,quod hunc. 156.1.Videte. 157.1.& apud herum. 159.vlt.illi. 160.22.dico vobis. 163 penult. Nã vt nemo subito. 170.16.inguinis. 175.1.praelatos abstineãt. Ibid. 3.abstinẽtiaq́; se. 178.6.clerus preces. 181.penul.imperita. 195.23.tum serio. 201.22.denarium verò istum. 206.30. obserate & obturate. 218.29.Verum haec. 219.8 suffusio. 223.6 odisse. 227.19.non inferiores. 233.16.publicas vias. Ibid.24.dele mihi. 236.vlt. turbae. 237.20.summis. 243.30.dele Lucas. 251.13.praeludebatur. 267.11.siculosam. 270.16.crassam,aut. 276.vlt.num factum istius. 280.21.adeò est admir. 285.13.filij vestri. 316. 16.addita. 323.18 literato. 339.25.nunciauit. 341.12.secesse.


STITIA · ET ·
PAX OSCVLATE
SVNT ·